

M R



1. Sam: Huber, Sonderbriefte und antwort auf 8. Jac: Heilbrunner Sonderbriefte. 1597.
2. ejurdem, Sonderbriefte an die Stadt Zübing. 1597.
3. Jac: Heilbrunner Sonderbriefte an Sam: Hubern. 1597.
4. ejurdem, schiffleuse rat feldung wider Sam: Hubern.

5
INVICTA VE-

RITAS, DE FACTA IN CHRIS-
TO IESV, ELECTIONE ET PRÆDE-

stinatione generis humani, ad vi-
tam æternam.

DETEGITVR D. STEPHANI GERLACHII

EX EIVSDEM DISPVATIONE, AD FIDEM ET
confessionem nostram reditus plenus
fraudum, & peri-
culi.

Confutantur item præcipua capita, in actis Theologorum
Wirtembergicorum de ista controuersia
ante annum æditis.

Admonetur Ecclesia contra spelancas simulate fidei.

SAMVEL HVBERVS D.



VRSELLIS

Apud Nicolaum Henricum.

CL. IC. XCIX.

IN VICTA VE

RITAS. DE FACTA IN CHRI
STO IESU, ELECTIONE ET PARADE.

DETECTIVAR. D. STEPHANI GERLACHII

EX EIVSDEM DISERTISSIMO AD RADM ET
CONSILIO RUM NOTARII GERLACHII

Continuatio...
Wittenbergensis...
1611



V. S. S. L. I. S.

Apud Nicolam...

1611





PIO LECTORI SALV-
TEM A CHRISTO IESV
DOMINO NOSTRO.

QVÆ scribuntur, optime lector, contra Theolo-
gorum nostrorum versutiam, & improbitatem
in oppugnanda Euangelij inuicta veritate, non
sunt, vt illi, ad concitandos Principum animos
interpretari solēt, tela contra ipsos Principes, & respublicas:
sed piæ & debitæ admonitiones, de imminente Christianæ
Reipub. summo & maximo periculo.

Et quòd Theologos ipsos concernit, optandum erat, ne
toties confusi & conuicti veritatis vi, & fulgore, desinerent
tandem fundamenta Christianæ fidei oppugnare aut ita se-
ipsum frænarent, vt in re tam graui tamq; periculosa minus v-
terentur fraudum & deceptionum. Conscientiam verò pro-
priam labefactare & Christianam Rempub. simulata qua-
dam fidei specie eludere nec desinunt, nec desituros spes vlla
est, nisi vt digni sunt, in lucem & apricum dextrè & solidè pro-
trahantur: in quo vnico spes est, sedandi has in Ecclesia pro-
cellas, longè alia futura ratio cum illis congregendi, si error a-
liquis ex imbecillitate humana & probabili aliqua veri specie
animos eorum obrepisset: tunc etiam mitiori & placidiori
remedio cum ipsis, tum ijs, quos hactenus seduxerunt, succur-
rendum foret.

(.)

Sed

AD LECTOREM.

Sed periculi magnitudo & hostium desperata durities summam requirit fœueritatem, & animos quam plurimos desiderat Spiritu Dei plenos, qui in virtute Helix, inclinato se opponant parieti. Summum mihi dolorem affert, præ cæteris in memoriã assiduè reuocanti florentem illum Academia Tubingensis & Ecclesiæ Wirtembergicæ statum, in quo ante paucos annos radiabant φως ἡμετέρας verbo & factis potentes pleni spiritu & potentia, animabusq; suis pro Christo παραβουλεύσάμενοι, & qui manus Ecclesiæ fortiter in Domino corroborârunt contra multiplices variasq; procellas & mutationes quæ post inclinatum in Saxonia Electorali veræ fidei confessionem, passim omnes propè non perceptabant tantum, sed se concutiebant etiam Ecclesias.

Quis enim non doleret non modò omnem illum antecessorum vigorem elanguisse, sed nouellorû istorum Theologorum nisu, pleraq; destrui, quæ à prioribus erant ædificata, & fœuissimas simul Religionis pestes omni fraudum genere introduci? Olim id ipsum Antiochenæ, Ephesinæ, Alexandrinæ, Constantinopolitanæ & cæteris syncerissimis Ecclesijs contigit, quarum intemerata fides per totum exsplendescibat terrarum Orbem, iam verò deuastatæ, factæ sunt immundissimorum spirituum κατοικυτήρια Domicilia nimirum Machometis, qui ingessit suum toruum fœuumque DEVM perdentem & exitio destinantem maximam humani generis partem ex absoluto beneplacito, & particulari occultaq; gratia paucos nobisq; incognitos homines complectentem & ad consortium vitæ æternæ eligentem: Ex quo vnico Principio tota Euangelij lux in illis paulatim interiit Ecclesijs.

Hoc ipsum jam quoque nostro imminet seculo. Illa verò opinio multum fascinauit omnibus retro seculis oscitan-

AD LECTOREM.

tantem plebem, sicut adhuc quoque, in Cathedris nempe quæ aliquando fuerunt sincerae, vocem veritatis semper esse quærendam: cum vicissim omnibus seculis id quod iam indicatum est, notum esse debeat, Cathedras corruptis in ijs Doctoribus, Pestilentia fieri Cathedras, & nisi admonitiones de periculo, & ingruentibus hæresibus locum inueniant, speluncas fieri, in quibus strages omnium æditur ordinum, cum extrema totius Religionis ruina. Quinimo nec solet veritatis lux in vno aliquo diu subsistere loco, sed ad instar corusci illius in cælo Gigantis, procedentis ex thalamo suo eburneo, circumit, vt suum periodicum absoluat cursum, eò quod saginâ pacis Ecclesiæ statim putrefactæ & cupiditate mundi illectæ viam relinquunt rectam & sequuntur viam Balam filij Bosor Num. 22. vers. 25. & 2. Pet. 2. vers. 15. vnde illud D. Lutheri, vix supra vnius hominis ætatem Evangelij lucem in vno permanere loco.

Hanc Tubingensibus calamitosam attrahent periodum Gerlachius & complices ipsius, manifesta ista Apostasia sua à veritate quò certè illos irritauit nimia illa in tanta tamque diuturna Ecclesiæ illius pace, prosperitas, arma contra Mundi ectorem stringenda, non modò non acuens, sed prorsus hebetas atque insuper cupiditates opum atque commoditatum huius seculi, à D E O cor abstrahens: Quod malum plerunque Apostasian præcedere solet, sicut ex tonantissimis Prophetarum concionibus in sacerdotum luxum & auaritiam satis constat.

Malum autem ingens, & eò perniciosius, quò dignauus noster populus (atque vtinam populus tantum, & non simul Magistratus) in Theologos aliquos, maximè si fama aliqua eruditionis & authoritatis sint cõspicui, & sint viri nominum,

AD LECTOREM.

vt scriptura appellat, omnem suæ salutis curam abijciat: his enim in qualibet re quicquam decernentibus, & si maximè ipsi inter se sint dissoni; (vt nunc sunt Hunnius & Gerlachius, in articulo prædestinationis, & ambo iterum coniuncti in articulis de creatione hominis, & Christi Iesu *ἐνορακώσα*, dissoni tamen iterum contra Polycarpum vanissime fidei hominem) stolidi plebs cateruatim affluit, hiat & forbet omnia, abundè contenta horum decretis aliquid dici & statui quicquid tandem sit, modò eorundem autoritate pax & saluus victus neutribus constituitur.

Pastores dehinc pleriq; hanc calamitatem adiuuant, dum conuiuendo gangrænam hanc serpere sinunt: nemo euigilat, qui remedium quærat.

Stertunt vigiles passim, & quanquam non omnes approbent Hunniana commenta, nec tetros ipsius propagare velint articulos, attamen fermentato vescuntur pane, sicut de sacerdotibus scribitur. 2. Reg. 16. c. Tempore Regis Ioas in Iuda, sacerdotibus sumptus erogabantur, vt Templum DEI factum tectum retinerent, sed boni illi ventres absumptis in cupiditates tuas regis imperiis, ad Tempus reficiendum nullas admouebant manus.

Sic omninò hodie fit, & sic Magistratuumbeneficia non modò voragine & ingluuie multorum auarissimorum ac fastuosissimorum & plerorunq; stertentium in vtranque aurem Theologorum absorbentur, sed etiam proditorio hoc silentio, totum populum à tergo auertunt, vt totum tandem amittat Euangelium & fiduciam in Christo collocandam.

Nolo iam prolixiorē instituere lamentationem de corruptissimo Ecclesiæ nostræ statu: hic libellus satis omnia manifestabit. Non ergo Magistratus suggillamus, sed hoc
cupi-

AD LECTOREM.

cupimus, vt euigilent & alijs negotijs parumper semotis circumspiciant, suosque examini & iudicio sistant Theologos faciant, quod olim constantinus, Theodosij ambo, Martianus, Iustinianus, & alij Principes populi ingenti cum laude & Ecclesiae in cremento perfecerunt.

Et hac de re cum primis monendus est Illustrissimus Princeps Wirtembergicus quem anno 1586. DEVS excitauerat singulari consilio ad frangendum Caluinistarum arcum: videat & aspiciat iam Celsitudo eius Gerlachium, qui d moliatur, & quos habeat consortes.

Moneantur etiam Saxonici Principes in quorum illustribus scholis Hunnius, Polycarpus, Mylius & horum socij, Euangelij fundamenta oppugnant, & Ecclesiam Christi fraudulenter seducunt.

Caelum & terram, imò quod maius est, horum conditorum testor, quòd ego in Domino Iesu Christo fecerim officium monendo & excitando indefessè, & vos posterì isthæc lecturi, me purum, syncerum & innoxium à seductis & perditis Christi ouibus pronuntiabitis.

Iudica hæc omnia tu pie Lector in veritate absque vllò personarum respectu: Atque ita, vt dixi, inuenies, Comparebimus aliquando coram Iesu Christo vniuersorum iudice.
Scriptæ Spiræ Anno Christi 1599. Kalendis Ianuarijs.

Ab Leoy...

capitulis, ut eorum...
cum p...
faciant quod olim...
gus Justinianus...
Ecclesie...
Et hoc de...
Principes...
circum...
arcum...
quidam...
Monasteria...
fiduciam...
E...
G...
rend...
cum...
lectura...
us Christi...
Iudicia...
personarum...
plurim...
S...



1

**DE GENERIS HVMA-
NI ELECTIONE ET PRÆDESTI-
NATIONE IN CHRISTO IESV, AD VI-
TAM ÆTERNAM.**

VIDIT D. Stephanus Gerlachius primarius sectæ parti-
culariæ duces ab euertenda electione nostri omnium
ad vitam in Christo Iesu, depulsos & fugatos esse redit i-
taque is à maledicta particulatione illa ad confessio-
nem & fidem nostræ Ecclesiæ, quam ab initio nobiscū
professus, mox verò hostiliter persecutus erat. Ita autem redit, vt mini-
mè gentium videri velit redire. Nam tametsi eam iterum approbet
confessionem, is tamen esse non vult, quasi unquam ab ea profugisset,
unquam eam prodidisset & persecutus fuisset. Plenus ergò irarum &
spumæ, vi potentissimæ veritatis compressus & victus redit onustus
septem pestibus & totidem imposturis Ecclesiæ hoc suo refluxu plus
mali afferens, quàm si ex professo adhuc in hostium inter coniuratos
suos, militaret castris. Hoc autem interea beneficii accipimus, ut Apo-
stata iste multa nobis referat & aperiat, quæ cum primis necessaria sunt
ad cognoscendam hanc Calvinianæ abominationis fraudumq; horri-
bilem fabricam.

Vnde operæ præcium duxi, Ecclesiæ meam hic iterum locare ope-
ram in demonstrandis sectæ huius machinationibus. Adsit nobis Chri-
stus Iesus: & ordine præcipua maximèq; necessaria capita pertractabi-
mus. Pugnamus autem contra impendentem Occidenti magnam &
extremam Apostasian: de qua Daniel, Paulus & Iohannes manifestè
sunt vaticinati.

CAPVT PRIMVM.

De statu controuersia.

CONFITEOR in hac controuersia fidem hac propositione com-
prehensam: Deus ab æterno elegit & prædestinauit in Christo Ie-
su ad vitam æternam omnes homines.

Hunnius & complices confitentur in hac controuersia fidem hac *statuo.*
propositione comprehensam: Deus ab æterno elegit & prædestinauit
in Christo Iesu ad vitam æternam non omnes, sed aliquos tantum &
paucos homines.

A

Hic manifestum, controuersiam nō esse de fruentibus vita æterna, sed de electionis ordinatione ad obiectum: An scilicet Deus electionem hanc determinarit & direxerit ordinatione, & instituto suo ad omnes: An verò non ad homines. Propositionem fidemq; meam Aduersarij animo hostili & plena acie ante hac oppugnârunt: Nūc verò pudefacti molliusculè & sinuosè hanc, eadem tamen peruicacia persequuntur: interim eo ipso artificio suam propositionem fidemq; apostaticis principijs innixa quæ est multis conuoluta in gyris, ne semper perspicua sit vendibiliorem & plausibiliorem reddunt

Atq; hic tenendum ante omnia, quod Aduersarij hæctenus in status patefactione, Christum in quo electi sumus, nunquam inseruerunt: *Christum amiserunt.* Solus iam Gerlachius prodiit, qui cum toties postulati essent, Christum tandem nominaret, in quo electi sumus. Theol. Hub. oppositis, thesi. i. Potuit autem Gerlachius, cum vniuersalem electionem iterum approbet & definiat rectius iam, quàm antehac socij ipsius istum inserere terminum: particulari enim Hunnianorum nunquam quadrat. Quocirca etiam adhuc trepidi & pallidi semper hi fugiunt, quotiescunque paucitati adiecto termino isto fit status confessionis eorum quòd *Deus in Christo paucos* elegerit ad vitam. Atque insuper eidem particulari electioni iterum conuenire non vult, Christus Iesus, si à luce in cauernas pro paucis substituunt terminum *Credentes*. Non enim rectè sonare vult etiam in proprijs ipsorum cordibus, quòd Deus elegerit per Christum, *credentes in Christum*.

Nam hoc pacto fides ilicò habet respectum à priori, & quod electionem antecedit atq; anteuertat, ut causa electionis: quin imò cum credere nihil aliud sit, quàm in Christo esse & viuere, omne respuit pharmacum talis propositio, quod eligat Deus per Christum, iam credentes in Christum. Perinde enim sonat, ac si ita proferrent eos, qui habent vitam in Christo, aut quos videt habere vitam in Christo, elegit ad habendum vitam in Christo: aut elegit eos qui iam sunt sancti, ut essent sancti, qui iam viuunt ut viuant. Ista portentosa loquia vident ilicò subsultare, si dicant à Deo eligi per Christum ad vitam, qui iam sunt in vita, aut quos videt credere, in vita esse.

Quapropter illi omnes, qui vniuersalem electionem simpliciter improbârunt, semper Christi nomen in definitione omiserunt, aut si non omiserunt. fidei tamen, ne locum & ius suum proprium retineret, postposuerunt.

Quo-

DE VNIVERSALI ELECTIONE.

3

Quomodo verò in initio certaminis penitus omiserint, vide Hunnij librum, Explic. contro. a. 2. b. Hic autem excubandum est maximè ne Christus Iesus fundamentum electionis & ad quem solum ius illud pertinet, cuius causa eligimur & destinamur ad vitam, ullo hic sub- moueatur pacto siue palàm id, siue fraude fiat, Sic enim ipse quoque Paulus facta mentione electionis & prædestinationis, utrobique addit factam esse *in Christo*, Ephes. 1. Porro idem est, dicere in Christo, siue *In Christo* per Christum explicato hebreo idiomate ibi enim *in idē* valet quod *per*.

Insidiosè autem appendicem addunt hanc: Siue credant siue non credant. Nam ibi Amphibologiam ad fascinandos simpliciores fabri- cant. Quod si nihil aliud vellent, quàm hoc, elegisse Deum in Christo omnes homines ad vitam, quanquam horum quos elegit, multi non credant absq; mora admitteremus hanc & approbaremus appendicē, vt quæ hoc modo opponatur aduersariorum opinioni, omnes credere quotquot Deus ad vitã elegit, & idcirco nō plures esse à Deo ad vitã ele- ctos, & prædestinatos, quàm quot numero sunt homines, qui credunt & perseverant: Hanc enim impiam assertionem improbamus. Qua- propter si probi essent in sententia mea explicanda, vel omittere pos- sent hanc appendicem, ab ipsis, & non à me inuentam, atque in calu- mnam veritatis excogitatã, Sicut ea de re, mea testantur scripta Tu- bingæ exhibita, & à Wirtenbergicis inserta in actorum partem alterã. Vel si ponere & toties etiam ad rauim usque inculcare vellent, eam quoque, quam toties illis exhibui explicationem, addere debebant. Alioquin multos ea implicat opinione, perinde illud (Siue credant, Siue non.) ad consilium Dei pertineat & ut talis sit sensus, quod Deus ita elegerit, homines ut nihil consilij, & ordinationis in electione con- currerit, quod in Christum, in quo seip̄ quem electi sunt, credere de- berent: Atq; ita Theologi wittenbergenses postea interpretati sunt, hanc foeturam seu appendicem suam. Confess. fol. 8. Impia autem & scelerata hæc est doctrina, qua velim aduersarios suas, & non meam fricare cuticulas. Porro de phrasi hac, & quid illi de fide sentiant con- sequenter suo loco dicetur.

Hoc interim in confesso sumi volo, quod in omnibus istis nouis scriptis suis, illo, quod antehac affinxerunt foedo crimine, me purgant, quasi statuatam, eos viuere beatam in Deo vitam & æternæ vitæ vsu esse participes, quotquot ab eam à Deo sunt electi, diu cum illis luctandum *Criminatio de omnibus saluandis in celo.* fuit



fuit, donec suam corrigerent linguam & manus, quibus ista locuti crāt & scripserant. Et Hunnius ut primus fuit in fingendo isto fœdo, ac impio crimine, ita primus in detergendo, vide de pro: & prædest: 12 g. & in confutat: præfationis, 120. iam excusso ibi sibi ipsi hoc telo, in thesibus suis Hub: oppositis, alium controuersia statum & aliud fraudis genus commentus est, plenus undique & falsitatis & tremorum. vide thes. 10.

*Nova statum
corruptio.*

Gerlachius cum animaduertit Christum in fundamento electionis excludi non posse, & non frustra Hunnianos magnæ hic argui impietatis, statum controuersia admissio Christo iam formauit quidem, sed transformauit etiam ilicò cum scripsit thesi sua 1. quæstionem esse; num Deus in Christo omnes homines elegerit ad vitam, sine respectu fidei. Nouus dolus & noua fuligo, quam insperfit statui, & confessioni de uniuersali electione, ad quam iam iterum approbandam, retrò actus est. Atque hic ut Erynus quædam sedet ad iaculandum conuitia, quasi Huberus in hoc dissentiat ab orthodoxis, quod ordinationem fidei in electione eliminârit: suo autem loco copiosè ea de re differetur.

Verùm debebat vir ille, si quid à graui lapsu suo sani adhuc reliquum habet in pectusculo suo, manifestè & dilucidè sub dio effari, quid illud sit quod appendit de respectu fidei. Quæro enim ex eo, num unquam dixerim vel senserim, absque respectu fidei factam esse electionem, hoc est, absq; consilio & ordinatione ad credendum? Hic suos ex ore exspuat globulos & astragalos, suū par & impar, & dicat disertè, num hoc velit? Aut nū quid aliud velit? Si enim hoc vult, q̄ Deus sine respectu fidei, id est sine causa p̄uisæ fidei in homine qui aliquando crediturus sit, elegerit ab æterno omnes homines in Christo ad vitam, tunc me habet liquidò proclamantē, affirmantē & confitentē, in hoc respectu & hoc fundamento fidei, nullam omnino factam esse electionem. Nam iste respectus tollit vniuersalitatē electionis restringens eam tantum ad credentes & ad tales credentes qui in rerum natura rem non possunt: peruertit in super verum electionis fundamentum, quod non in actu fidei, electionem antegresso, & ex præuisione cognito, seu anticipato, sed in actu misericordiæ in *Christo unico* fonte & causa electionis, & fidei positum est. Hic ergo se liquidò patefacere debebat Gerlachius, ut intelligeretur, quid vellet & quid mihi assueret: Verum strident isti particularij & iste præsertim Apostata fracto ore, & dispersis faucibus in tanta ruiuā, ut disertè nihil enunciare possint.

Sunt

Sunt autem duo in confessione & propositione fidei meæ consideranda: vnum, vniuersalitas generis humani cum complexu omnium indiuiduorum, & opponitur paucitati aut particularitati: Atque hic est pugnae cardo inter Hunnianos & me. Alterum est, ordinatio, qua homo in ipsa electione & ipso electionis exorsu ordinatus est, vt credat: cui ordinationi si paret, vitam consequitur, ad quam electus, & ordinatus est: Si non paret & reluctatur diuinæ ordinationi & ductu ad vitam vitam non consequitur & dicitur incredulus & ἄπιστος, causamq; æterni supplicij, quo incredulitas punienda est sibi adsciscit. Hic pugnatur contra absolutum decretum Calvinistarum. Omnia hæc sunt perspicua & clara, digna Theologica luce filiorum Dei: Et si Auerfarij absque fraude pugnare vellent, non opus esset, vt alia inuoluerent. Quibus argumentis ista electionis veræ & propriè dictæ doctrina contra errores defendi debeat, alijs id demonstratum est libris, præsertim confutat, breui & Apologia germanica confessionis meæ, itemque in libello *kurzer begrieff vnd inhalt*. Hic supersedeo labore repetendi ea: quia opus non est cum isto hoste, qui vltro iam vniuersalem electionem iterum approbat & in suis eam ipsemet demonstrat fundamentis, & magnificè quidem cum testatur, quòd ex vniuersali redemptione & consilio atque proposito Dei ad saluandum nos vniuersali, sincera Ecclesia collegerit, & confessa sit & constanter fateatur, vniuersalem factam & antegressam esse electionem. Ista vniuersalitas redemptionis à morte ad vitam, præstita per eum, in quo ad vitam electi, ordinati seu prædestinati sumus, titubantes has fodicat conscientias, vt doctrinæ huic iterum in testimonium veritatis, suffragari cogantur. Nec interim dissimulare volo, nisi superioribus annis hic redemptionis articulus splendide & copiosè fuisset assertus, dudum æquè is quoque, ab his hominibus in dubium pertractus fuisset figmento isto electionis particularis, vtpote cum qua in omnia sæcula consistere non potest. Hoc videt Gerlachius. Ideo tremit, & pallet ad suam Apostasian: atque vtinam ad illum pectori suo iterum fulgurantem veritatis splendorem & iniectum cuneum, cor molle haberet ad obediendum veritati. Miseret me eius stantis iam vno pede ad limen nostræ Ecclesiæ, petentis iterum fraternitatem, altero verò adhuc hærentis in pice sociorum, à quibus se passus est seduci; à veritate diuortium fecit quia gratiam Dei petulanti Apostasia excussit; ideo non vult nec potest absque spumis, & crimina-

*Redempti
hostes ad cō-
fessionem ve-
ritatis.*

Gerlachius.

tionibus veritatem vt olim fecerat, amplius celebrare licet fulgidâ videat in corde suo, fulgidam inquam, simul tamen etiam inuisam. Hæc de sententia Ecclesiæ nostræ ex verbo, cui olim Gerlachius publicum ante Apostasiam suam semper dederat assensum & testimonium.

Iam sicut nos vniuersalitatē opponimus Hunnianæ paucitati ita Hunniani : vt etiam omnes Calvinistæ opponunt huic vniuersalitati suam paucitatem : atque sic fit contradictio, vt cum nos statuimus *omnes, illi* ex opposito statuunt, *Non omnes* : Et hæc contradictio, *Non omnes*, exprimitur apud illos æquipolenter per *Pauci* aut per *Aliqui tantum* : Vnde etiam loca scripturæ de paucitate sonantia eò compilant ad probandum suam sententiam nostræ oppositam, nimirum non omnes homines à Deo electos esse in Christo ad vitam licet vacillante & instabili confessione semper id faciant, præsertim vbi statum controuersæ collocare, meoque *omnes* opponere debebant suum *non omnes*, aut *Pauci* aut *Aliqui tantum*. Pro his enim terminis liquidò propositioni meæ opponendis, peregrinum substituunt *Credentes* : & ne sic quidem absque fallacia, cum in status positione voculam exclusiuam nullam addant. Dicendum enim erat, vt vera existeret contradictio, *Credentes tantum* : Alioquin per *Credentes* nulla perspicua fit oppositio, sed potius subalterna propositio & subsumptio sub vniuersalitate, ad quæ referuntur tam credentes quàm non credentes. Fallacia autem hæc eo est periculosior, quòd inde à statu multi sic abducuntur, sicuti hæcenus factum est, vt existiment controuerti, an credentes tantum saluentur, & de modo apprehendendæ per fidem vitam, non autem de electione esse controuersiam. Compellendi ergo sunt, ad proprium & verum statum controuersæ, & vrgendi, vt in luce & perspicuè loquantur, quid sentiant & quid velint.

Pauci electi. Quod verò confessioni Ecclesiæ nostræ de electione omnium in Christo ad vitam opponant contradictione paucitatem, id obseruabit lector, quoties locum citant, Matth. 22. Multi vocati, pauci electi. Hinc enim concludere nituntur, quòd Deus paucos elegerit ad vitam. Eum in finem allegant locum, 1. Cor. 1. Non multi. &c. Vbi non multi posuerunt æquipollenter pro pauci. Hoc inuenies in libro *befcheid*, ant. fol. 12. de prou. & prædest. fol. 341. 574. Idem fecerunt Theologi Wittenbergici (inter quos Gerlachius tum quoque erat) in actis Huberianis par. 2. fol. 73. & fol. 208. Et licet ibi limitationem addant, in voluntate

rate consequente; attamen per totum librum negant, quòd Deus, verè & propriè loquendo, in filio suo, omnes elegerit ad vitam. vnde apparet eos hanc propositionem nostræ semper & vnicè oppositam habere quod Deus paucos ad vitam in Christo elegerit, sicut Hunnius eam propositionem in libro suo, de explicatione controuersiaè prolixè probare voluit, in hoc tantùm ipse cautus, & reliqui cauti, ne se in status positione, hoc suspectissimo termino statim in ipso vestibulo prodant. Imo, si nostræ propositioni absque metu libera conscientia luce contradicere vellent, non possent alio, quàm isto, paucitatis termino uti non omnes sed paucos aut Aliquos tantum: Et hoc ipsum volunt, cùm electionem non nisi in voluntatem consequentem referunt, vbi fundatam esse dicit Hunnius de prouidentia & prædestinatione 646.672. atque ibi certè suum *non omnes, aut pauci* opponunt vniuersalitati. Hæc de termino paucitatis. Iam illud, de Christo, ut actus Dei eligentis nos, non statuatur sine aut extra Christum, illi, ut primum à statu controuersiaè digressi sunt, in confutanda aduersa sententia si videant nullum effugio esse locum, id quoque fatentur, quod Deus in Christo, vel per Christum, nos elegerit. Hunnius de pro. & prædest. in præfat. g. 7. a. Idem in confutat. præfat. fol. 68. vbi ponit, propter Christum. Polycarpus in suo pro sociis responso fol. 38. inquit: In propria significatione, vsurpari vocem eligere, si dicamus, per Christum nos eligi. Vult enim dicere, quod propriè nulla sit facta electio, nisi per Christum. Hæc omnia, cùm ad argumentationes suas & ad obiectorum confutationes longè post statum progressi sunt. Hic autem simul intelliges etiam hanc fraudem, per Christum eligi, sic explicari ab illis, vt non tantum consideretur Christus tanquam futurus redemptor, & mediator in quo Deus erat nobis reconciliandus, sed ut fide iam apprehensus. Hunnius, de pro. & prædest. g. 3. a. & 4. a. Hic ergo Christum circumscribunt fide, vt qui priusquam eligeremur iam antè erat fide à nobis apprehensus aut saltem præuisum à Deo eum fide à nobis apprehensum iri, atq; ita fides illa in Christum præuisa, Electionem ordine præcesserit, & causam eligendi Deo præbuerit, vt facta inter homines segregatione, eos solum, quos credere, seu Christum amplecti, & secum afferre, præuidebat, elegerit, seu destinãrit, ad vitam, nunquã alioquin in, seu per Christum eos electurus, si fidẽ illam in Christum seu apprehensionẽ Christi per fidem, & perseuerationem in eadem

*In Christo.**Christus fide apprehensus.*

INVICTA VERITAS

fide, in illis non praevidisset, sed vna cum reliquis, quos infideles Christumque non amplecti, ac secum non afferre praevidebat, praeteriturus. vnde etiam fide, tali cum respectu, aiunt, ingredi electionem, ut partem & causam electionis. Hunnius, de prou. & praedest. 340. Et Wirtenbergici Theologi part. act. 2. quod electio tribus perficiatur, & constet partibus, fol. 75. 198. Quod etiam illud pertinet, quod dicunt in fide, & quidem in fide praeuisa, eligi homines, quod semper aequipollet huic, in Christo fide apprehenso. Quae omnia eò tendunt, fidem, rationem, & respectum suum habere ad prius, & electionem ad posterius: aut, quod evidentius est, fidem hic considerari ut antecedens & causam electionis, qua visa, & praecognita, Deus motus, elegerit ad vitam solum hos, in quibus eam futuram & perduraturam vidit: electionem autem se habere ut consequens; & effectum fidei.

Fides meritum.

Nec pudet tamen eos inficiari, quod fidem faciant meritum, & dignitatem, cuius intuitu nos eligat Deus. In omnia autem secula, negari non poterit, rationem habere meriti, quicquid primum est, cuius causa nos Deus respicit, & eligit. Et cum rationem meriti habeat id, quod fidem appellant, hic quoque decipiunt Ecclesiam, quod fidem appellent, id quod fides non est. De electione itaque semper tradunt, quod fides sit, quae apportet & sistat Christum ad actum electionis, alioquin ab actu eligentis nos Dei, semper abfuturum; atque sic Christus non consideratur ab illis respectu sui ipsius, & fidem omnemque ex homine actum antegressi, sed respectu fidei antegressae & actu suo apportantis secum Christum. Haec eiusmodi sunt portenta, ut contra Christianae Religionis principia ac fundamenta vanius nihil excogitari, ac dici possit. Nolumus autem iam haec, & similia alia prolixius confutare, quia cum Gerlachio & non cum Hunnio institutum est hoc praedium. Communia tamen fuerunt isthaec Gerlachio cum Hunnio, quandiu suum cum eo aluit consensum, atque vniuersalem profigare coepit electionem.

Iam reuertor ad propositionem Aduersariorum. Duo itaque habemus in illorum confessione. 1. Paucos à Deo esse electos. 2. Per Christum esse electos, qui electi sunt. Vnde haec illorum propositio, quod Deus per Christum Paucos homines elegerit ad vitam. Propositio & confessio haec fidei est manifestè Calviniana: Quanquam propter causam ex praeuisione sumptam, à decreto absoluto eam discriminare & hoc pacto à Calvinianis eam separare velint. Falsum autem fingunt discrimen: nam ut ut il-

Propositio particularis

vtut illo discriminent prætextu præuisionis: manet tamen concors & ea ipsa inter illos propositio & fidei confessio. Videt hoc Hunnius, i- deoq̄ue huc illuc discursat, & horret in ipsis præcordijs ex vna parte Calvinismo, ex altera autem pelagianismo se irretitum intelligens nec tamen pœnitentiam agere vult & in viam veritatis redire. Nam vide quæ scripserit in confutat. præfat. fol. 68. vbi hæc sunt verba: *Bedarff also keines ferner fragens, vvas die ursach vnd der grund seye in vnser lehr, daß Gott vmb Christi vwillen, nur vvenig Menschen zum leben verordnet hat.* Aspice in his verbis, *paucos: tantum paucos: propter Christum: Destinare vel ordinare.* Hanc confessionem non suam, sed sociorum etiam confitetur esse, arque gloriatur de eiusdem asserta veritate, & tamen occlamat, quasi fallaciter illa propositio ijs verbis concepta ei, & socijs fit afficta, de pro. & prædest. 404. 405. 406. Agè, quid sonant ergo verba illa germanica? Aliud est fecisse aliquid: aliud facti aliquem pœnitere. Pœnitentes non negant factum; & factum prostat in omnium oculis. Sin autem eum facti pœniteat, non diffiteatur illud, & socios hortetur ad pœnitentiam, & præeat ipse exemplo, comitatus iam Gerlachio. Si nunquam fecit, neq; facturum est, vnquam, damnet, damnet, inquam hanc impiam & toti Euangelio oppositam propositionem. Hunni, si ita eiulas, damna eam, opugna & confuta eos, qui hanc propagant. Nos enim tam heteroclitam confessionem fidemq̄ue grallis inficiationū & affirmationum sursum & deorsum nutantium, non permittemus. Confitere constanter, vt virum bonum decet, quid sentias & quid credas. Hæc de Hunniana propositione.

Ego hanc confiteor fidem, quòd Deus, in Christo Iesu elegerit ante constitutionem mūdi omnes homines, ad vitam æternam: & damno hanc fidem, quòd Deus in Christo Iesu elegerit ab æterno ad vitam æternam, non omnes homines sed paucos, & aliquos tantum.

*Fide Huberè
de electione.*

CAPVT SECUNDVM.

Quomodo vox electionis vsurpetur.

QVòd pro separatione vsurpent hanc vocem Aduersarij, id omnes iam tandem abundè nouimus: Còtra hoc significatum, in doctrina salutis per Christum, omnia extant prolixè à me exposita in Apologia cap. 3. & 4. Nolo repetere, præsertim cùm Gerlachius illud significatum vocabuli iam improbet, confessione electionis vniuersalis. Ma-

B

nifestum itaque, quod hac in parte & in ipsa matricula errorum suorum, sint victi & prostrati. Ad intelligendum autem propriam vocis huius significationem in hac doctrina, paucula subjicere lubet.

*Eligere
quid.*

*Esa. 43. Ver.
24.*

Et primò quidē vox hæc nihil est aliud, quàm actio & operatio voluntatis diuinæ per Christum ad nostram salutem. In actione intelligimus consilium, propositum, ordinationem & omne studium Dei, opus atq; laborem, (Labor enim dicitur in scriptura respectu cōtumaciæ nostræ) quo satagit, facit, omnia etiam, semetipsum eo impendens, vt vitam in filio suo viuere possimus cælestem, beatam & æternam. Rectè autem voluntatis actionem operationem seu efficacitatem appellamus, vt hæc Dei voluntas non sit speculatrix tantum & ociosa voluntas aut permissiua, sicut aduersarij sentiunt de voluntate sua antecedente sed operatrix, & laboriosa in ordinandā nobis salute, ac medijs salutis: ita ut ex hac electione, seu voluntate electiua, nostræque salutis desideratiua, orientur omnia media salutis, & totus ille ordo, quo Deus in vocandis & ad salutem adducendis hominibus vtitur, & fides denique ipsa per media illa, virtute Spiritus Sancti in hominibus excitatur.

Quapropter non præeunt aut præcurrunt media illa, multò minus ipsa fides seu salutis participatio, ipsam electionem seu prædestinationem Dei ad salutem sed eam consequuntur. Præcedit autem electio seu prædestinatio, præordinans seu prædestinans nobis Salutem, & omnia media ad Salutem ducentia, & sequuntur in executione demum ipsa media, eaq; testantur de electione antegressa vt quilibet ex vocatione & redemptione colligere possit, se à Deo ordinatum esse ad vitam, atque in electione diuinæ esse comprehensum & tum demum sequitur fides participans vitam & illis ordinatis medijs, & offerentibus mihi vitam. Hæc est voluntas electiui & quam προαιρετικὴν vsitatò rectè appellamus, sicut ipse quoq; Paulus appellauit. 2. I. hebr. 2. cūm dicit, quo nos Deus ab initio elegerit, vsus vocabulo ἐίλετο. Quapropter scriptura huic voluntati semper attribuit consilium & propositum illud, in Christo nos saluandi. Vnde electionis vocabulum semper confessus sum, à me accipi conuertibiliter, pro voluntate Dei, quæ consilium & operationem habet in Christo nos saluandi. Et gratias ago hostibus meis, quod id ipsum confiteantur de me, part. act. Hub. 2. fol. 63. Et Polycarpus id ipsum repetijt, Hubero esse Synonimon, velle, & eligere,

gere, fol. 29. Hoc ipso in sensu acceperunt à me Wirtenbergici, cum spirarem in Domino vnā confessionem, sicut ipsemet testantur, aliter se Huberum nō intellexisse, par. act. Hub. 1.277. Asscribunt etiam eundem vocabuli sensum synceris Theologis, atque addunt intellectum esse de voluntate Dei reparandi genus humanum. Rectè hic & rectissimè vtuntur reparandi vocabulo, vt voluntatem operatricem in electione distinguant à voluntate ociosa, aut etiam permissiua, in qua nullum consilium & propositum est Dei: sic vt Hunnius in exordio statim moti certaminis voluntatem in Deo fingeat antecedentem, vacuam consilio, & proposito Dei. Huic delusoriae voluntati electio est opponenda, voluntatem continens cum consilio, decreto & ordinatione Dei, ad iuuandum & saluandum nos. In hoc tum voluntatis, tum electionis significato (vtroque æquipollentur sumpto) permaneo, & in eadem mecum semper fuerunt sententia, quicunque animas de electione percussas crexerunt, hisce promissionibus, de voluntate Dei, Ezech. 33. Matth. 23. 1. Thim 2. 2. Pet. 3. Hunnius autem & socij id semper violentissimè oppugnârunt vanis suis principijs in duplici illa caetera de voluntate antecedente, & consequente.

Deinde perspicuum est, quod electionem non permisceam cum salutis consecutione seu participatione ita nimium quò omnes credant & omnes salui fiant, qui à Deo electi sunt ad salutem. Electi quidem sunt omnes vt per fidem in Christum saluarentur: Vtque fidei, & salutis compotes & participes fierent, ordinata est electio in sui origine suis medijs verum cum pleriq; media illa respuant & contemnant, & electioni seu præordinationi diuinæ non obsequatur fit vt salutis, ad quam, per media illa, destinati seu electi erant, non fiant participes. Manet autem nihilominus firmum, & perpetuo verum, quòd in Christi electi fuerint à Deo ad vitam, & quòd ordinati etiam fuerint ad credendum, manente videlicet facto Dei, quod per eiusmodi inobedientiam & contemptum hominum infectum fieri aut subuerti nequit.

Tertiò in omni hac doctrina de consilio *πρόνοια* & gratia Dei, nos in Christo saluandi, vocabulis destinare, prædestinare. (nisi quod istud denotat æternitatem ante condita sæcula.) eligere, ordinare, ponere indifferenter in eodem vtor sensu. Et sunt vocabula à Spiritu sancto, in verbo pronunciata, eiusdem significati, in hac doctrina, atque ita, vt vno accepto reliqua simul comprehensa intelligantur: & idcirco quouis ho

Non omnes salui, qui electi sint.

Synonima.

rum uti licet, in hac doctrina absque differentia, ita tamen, ne vno usurpato, reliqua, ut alterius cuiusdam significati aut quasi scrupulosa & minus idonea, spernantur & rejiciantur. Idem quoque Aduersarij in vno significato utuntur his vocabulis. Hunnius, de Prou. & prædest. 402. Item fol. 87. 103. 118. 463. Tubingenses quoque pro eodem *prædestinire*, *verordnen*, *versehen*, *und erwählen*. part. act. 1. 1. fol. 5. & 17. De vocabulo *verordnen*, vide quomodo cum vocabulo eligere in eodem sensu retineant. Theologi Wittenbergenses, in confess. sua, fol. 5. 11. 93. 110. 387. Et Hunnius in confutat. præfat. 27. 29. 37. 106. 119. 122. Similiter Polycarpus, fol. 27.

Electus.

Quartò, vocabulum *ἐκλεκτός* constanter in omni ista controuersia confessus sum non denotare actionem aliquam ex Deo, sed titulum esse eorum, qui fruuntur gratia Dei & secundum electionem, seu *προγνωσι* Dei ambulant. Hic autem titulus non ad omnes, sed ad verè credentes tantum extenditur. Quapropter ad præsentem quæstionem, in qua de Dei quæritur opere electionis, per Christum, vox hæc *ἐκλεκτός* nihil afferre potest explanationis.

Hæc de vocabuli huius significato & tota fidei meæ confessione, in hac controuersia, quam eo ipso modo & nunquam aliter declarauit.

CAPVT TERTIVM.

Quòd de electione hoc ipsum semper senserim
confessus sim.

Adsunt in promptu scripta mea, edita ante motum hoc certamen & quanquam vocabulo *ἐκλεκτός* liberius in disputatione Tubingensi ab initio fuerim usus: tamen cum denuo excuderetur ea, vltro correxi, & ita postea semper repetij, & usurpauit in omnibus conuentibus. Nihil verò hoc summæ in confessione derogat, si nomen hoc verbale inconsideratius, aut impertinentius vel à me, vel ab aliis in prima velitatione allegatum sit. Mansit enim semper confessio eadem, vniuersalem esse ex Deo electionem.

Maximum autem hoc est, cum post excitatam controuersiam, formulæ sunt editæ confessionis, & in conuentibus propositæ, & expectatum est quid vel in Thesi vel in antithesi desideraretur. Ibi nulla usquã prodiit inter partes differentia aut dissensio aut querela nisi hæc vnica, quòd ego actionem Dei nos per Christum eligendi ad vitam vniuersalẽ
ad.

aduersarij, aut particularem statuerint. Et misericors Deus eorum opera vltus est, ut illas de constanti mea confessione, & toto cōtrouersia cardine, formulas confessionis in lucem ederent. Prima in primo conuentu est exhibita Wittenbergæ: Hanc inuenies in libro Wittenbergicorum Actorum, part. 1. fol. 258. Cùm redijissent commissarij aliqui Wittebergam, iterum est formula à me concepta, quam postea Wirtenbergicis quoq; exhibui Ratisbonæ: Inuenies eam in eadem parte, fol. 227.

*Formula
confessionis
Huberi*

Iterum conceptam aliam in conuentu Ratisbonensi inuenies ibi, fol. 303. Erat autem in Torgensi conuentu prolixior adhuc exhibita, explicatis præcipuis quæstionibus huc spectantibus, hanc Princeps Administrator Saxonæ, & consiliarij celsitudinis ipsius acceperunt: Sicut etiam post in iisdem fundamentis conceptam, sed complexu cōpendiosiori Principi misi Vimariam, ibi tunc commoranti. Hæ sunt formulæ confessionis meæ constantissimæ, in multis examinibus, per multas procellas & varios insultus, ac multiplices tentationes, semper in iisdem fundamentis & eadem constantia propositæ, & propter nihil aliud quàm propter confessionem in illis compræhensam sum multatus exilio. Tandem constantissimam sententiam & inuariabilem inueniet lector in Epistolis meis ad Wirtenbergicos, quas Actis suis inferuerunt. Vbi extant, quæ scripseram, cùm essem Wittenbergæ, in responsione mea ad Epistolas Wirtenbergicorum. Nihil planè vel variatum, vel de variatione in me culpatum ab aduersariis, & accusatum. Vni huic culpæ semper obnoxius eis fui, quod contumax, & præfractus sim in semel concepta opinione, de electione omnium in Christo ad vitam, cum condemnatione sententiæ oppositæ. Dignissimum hoc notatu in cæteris quòd in strigosis & minacissimis Wirtenbergicorum Epistolis, ad me & ad Hunnium, & ad Theologos & ad Principem denique missis, nusquam mentionem faciant, quòd à sententiæ meæ pristina de electione vniuersali, mutatis aut additis aliquibus vel pilum discesserim. Ibi enim si quod apparuisset vestigium, veru & mucronibus suis dudum me excepissent, & in Saxonia exanimassent apud Principem & consiliarios, quos vt in ceruicem meam concitarent studium summum adhibuerunt. Neque etiam hoc vnquam propositum, quòd aliam & nouam apportem electionem, sed hoc quæsitum & petitum, vt abnegarem & delererem hanc, quam vnà cum illis Tubingæ sub-

Liber A-
cademia do-
natus.

ipforum autoritate, patrocínio & præsidio splendidaque approbatione, tradidi & docui. Prouocauí in ijs ipsis Epistolis meis, contra illorum temerarium iudicium, ad librum meum, quem in pignus consensus, Academia Tubingensi profecturus Wittenbergam donauí. Clamát iam quasi doctrinam de vniuersali electione, scriptione in librum illum iterum improbárim & reiecerim. Si quid tale erat, cur non scribebant id in Saxoniam; Cur hac armatura Hunnium non induebant; Cur ne hylum, & ne hylum quidem responderunt mihi prouocanti ad illum librum ad illum ipsum librum? Quin imò neque Hunnius ad eos scripsit, quòd aliquid mutárim in mea sententia, sed accusauit me, quòd contumax hæream in ijs, quæ Tubingæ à me edita & à Theologis approbata sint. In primo quoque suo euulgato scripto nullius me facinoris, neque vllius nouitatis reum egit, sed duntaxat, quod auelli nolim à doctrina de vniuersali electione Tubingæ proposita exposita & prolixé declarata. Vide librum ipsius de explicatione controuersia. Hoc testimonium ab hoste habeo & lucidum est, quo iam cornicularum, id est sociorum suorum oculi configuntur, qui scribere audent. aliud doctrinae genus & nouum de electione à me excogitatum fuisse Witenbergæ. Nec frustra ergo Deo gratias ago, quòd Wittenbergici isthæc in acta sua retulerint, vt proprio suo in densissimis istis vanitatibus, quas effundunt ad palliandum scelus patratae Apostasiae se iugulēt gladio. Ad Principem Administratorem, ipforum extat Epistola. part. 1. fol. 51. vbi hæc sunt verba: *der haupt handel ist, ob Gott alle menschen zur seligkeít erzuelet.* Hoc scripserunt post congressum Ratisbonensem; nihil ibi quod nouam tradam, & aliam electionem, quam antea, aut quod fidem eliminem. Atque si tunc illis nihil constabat de aliqua fidei eliminatione aut de confessionis meæ mutatione. quam habebant causam aliam insurgendi aduersus me, nisi quòd ab vniuersali cedere nolebam electione; Cur Principi tunc non referebant, in discessu meo Wittenbergam, vniuersalem fuisse à me improbatam, & reiectam si quid tale commissum à me sciebant; Hæc de obiecta vt fingunt vniuersalitate, & de mutata confessione sub vniuersalitate, ita respondeo, Si maximè iam sub electione vniuersali nouum aliquod dogma molirer (sicut illi, exuti pudore hoc quoque aduersus me fingunt) nunquã tamen sunt, neque erunt immunes & innoxij ab excitato incendio, & telo persecutionis, tunc incusso, cum de nulla alia electione, & voluntate scirent me esse locutum, quam de hac, quæ à Gerlachio iam denuo
asseritur

asseritur, & quam amplius euertere non possunt. Aut si quid etiam occultâsem hæreseos vt mihi affingunt & non tamen electionem debent vniuersalem simpliciter damnare, quam Gerlachius iam iterum approbat. Poterant vtique vniuersalitatem his, qui iam à Gerlachio monstrantur argumentis approbare. Hoc si fecissent, nunquam illum in Saxonia excitâssent puluerem & fortasse Hunnium suum dudû vidissent suo merito & pœna exturbatum Saxonia, vt autorem ingentis scandali, & seductorem totius Saxonix.

Norunt etiam Wirtenbergici, quòd in persecutione aduersus sanctos in ipso Ducatu Wirtenbergico nihil aliud, quàm vniuersalem electionem sint detestati, vtpote affixi suæ Hunnianæ particularitati. Frustra itaque iam pristinum telum suum tegere conantur, & frustra aliud arripiunt vt me parieti affigant. Redibit hic mucro, & hæc sagitta, vt David loquitur, in cor eorum, Psal. 37. Et frustra arcum, què Deus fregit, sutelis mendaciorum restaurant; Arcum enim hunc Deus, iudicij sui efficacia allidet imo allisit fronti eorum. Denique maculârunt seipfos boni viri strenuè, dum Epistolas meas & formulas confessionis testimonia contra omnes vanitates, quas iam excogitant, in medium protulerunt.

De libro Actorum duabus partibus distincto 2 edito, id quoque subijcere lubet magno illos studio conatos fuisse contextum verborum meorum transfigere glossis, Ibi enim stant glossæ eorum tanquam igniuomi Draconis, & colubrorum sibili virus exhalantes, Nihil autem veritati poterunt officere, quæ, vt focij Danielis in fornace illa ardentissima, stat nullo vsque ambusto pilo; & hoc ipso veritatem stabiliunt, cum irritos suos omnes demonstrant conatus aduersus eam. Ibi quoque extat testimonium pro me, quòd in medias hostium meorum fauces meipsum coniecerim, nullo vsque præsidio humano testus, de controuersia hac cum illis Tubingæ collocuturus.

Testimonium item hoc contra illos, quòd colloquium, quod iudices, quod arbitros defugerint, & impedièrunt, atque ita in primo meo ad illos ingressu terga dederint. Fatentur non semel tantum, à Principe fuisse per me, petitum colloquium supplicibus libellis, sed ipsis contrà nitentibus, nihil esse impetratum. Ibi extat, quibus de rebus sub Iudice eos accusare, & vicissim accusationes aduersus me, & has ipsas, quas iam disseminant, audire voluerim, magisq; precibus id petierim.

Liber actorum à Vir-tembiciis editus.

Ibi extat, quod nihil in doctrina de electione, literis in Saxoniam missis, accusarint, quam ipsam vniuersalitatem. Ibi extant literæ, quas durante controuersia Wittenbergæ, ad Principem Administratorem dederunt, quas ad eundem post Ratisbonensem conuentum, & quas ad Principem Wirtembergicum scripserunt, plenas (vt bona venia eorū dicam) & plus quam plenas vanitatum & versutiarum, quæ Synedrio & consilio tot Theologorum valde sunt indignæ. De his mihi, nisi ipsi diulgassent, nihil constare poterat.

Extant etiam ibi literæ ad Hunnium & ad Theologos Wittenbergenses, quæ vsum hunc habent maximum, quod Huberum, non nisi propter assertam vniuersalitatem destinationis in Christo ad vitam, condemnarunt. Vnum hoc in ascribendis literis vltro citioque missis, desideratur, & maxime desideratur, quod Epistolas Hunnij, Polycarpi, & tertij Theologi (quem secum raptare) solent non simul euulgarunt.

Erant enim horrenda illa mendacia in lucem proferenda, quibus Wirtembergicos suos astute circumuenerunt, & in nassam pertraxerunt, ex qua se amplius euoluere non possunt, Ibi extant consilia quoque aduersum me quæ tractarunt inter se mutuo

Quæ omnia mihi occulta & sepulta mansissent, nisi in lucem fuisset ab illis prolata.

Quæ præcipua in libro Wittenberg.

Quod glossas illorum concernit, tria velim obseruari capita, in quibus totum illud agmen consistit. *Primum* est, quod tussunt semper de sua confessione, quasi nunc nunc excreaturi, & dicturi quid sentiant, & quid credant, nunquam tamen disertè, vel in vna aliqua periodo proposuerunt quid de electione vniuersali asseueranter & quid non, & quid de Hunnij præuisionaria electione & quid vniuersim, de eius fundamentis sentiant, & quid non sentiant. Lege glossas eorum & videbis istam pendulam Theologiam atque pudendam.

Deinde aduersus me vibrant, inde siue ter, quod confessionem aliam habeam, quam olim, cum apud illos in acie starem contra hostes. Non possum hic me diutius reprimere: summa enim nequitia Ecclesiam derident, si (quod fingunt) aliam permaximè haberem, manet tamen, quod primam approbârunt, & eam ipsam deinde sint persecuti, ô ventosi & vorticosi Theologi, id manet, maneat & manebit, Si aliam trado Quæro quænam sit? Quæ so, quænam illa alia; Hic vester summè perclita

clitatur honos, sub isto infami facto testimonij falsi, vestroq; ordine, vestris canis, & tot laboribus pro Ecclesia maximè indigno si istud obiectum crimen demonstrare nequitis, Quod de fide iam strepere incipitis, nihil est & paries marcidus hoc fuco dealbari non poterit. Conqueror ut benè intelligatis de falso hoc vestro testimonio. Et insequentibus me purgabo vt æquum, & vt constante Theologo dignum est. Vnum tantum adijciam repetite quæ scripsistis & conuentu vestro Bebenhusiano ad Principem vestrum. Ibi scripsistis, p.1.fol.262. Cùm Huberus in Saxonia vixdum apud Academiam Wittebergensem sedisset, *da hat er sein opinion vnd besondere lehr von allgemeiner eruelung aller menschen, vviderumb auff die ban gebracht vnd zuverthedigen sich vnderstanden* Hæc scripsistis ad Principem confessi, non quòd aliã, quòd aliã inquam, confessionem electione voluerim propagare, sed priorẽ & hanc ipsam, quam Tubingæ asserueram. Quæro iam à vobis an in hac ad Principem exempla, an verò in historico vestro scripto falsitatem proposueritis? vt ut autem hoc sit: ego hoc quod ad Principem scripsistis oppono historicæ vestræ relationi & manifestè impijs glossæ. Confutatis vos ipsos, & maculam falsi testimonij indebilẽ vobis aspersistis. Hoc notare benè & desinite porro vel noua fingere, vel antea ficta defendere: confudistis enim vosmetipsos metuite tãdem iudicium Domini.

Tertium est quod defecerim à confessione mea & id testatum fecerim libro, quem illis donavi, in discessu meo. Ad istud figmentum iam paulò ante responsum est & copiosiora inuenies in scripto meo historico, *Historische beschreibung fol.H.4.*

Quod historiam ipsam attinet, in qua conscribenda aliquando sunt *Historia à* valde vagati extra veritatis cancellos, aliquando autem nimia vti par- *Wittenber-* cimonia in recensendis rebus idoneis, abundè satis lectori veritatis cog- *gicis scri-* nitionem suppeditauit, in opposito eis scripto meo historico. *pta.*

Quæ breuitatis & aliquando etiam ignorationis causa, quid inter illos agitatũ sit, à me prætermittenda sunt, eorum factus iam est præco Gerlachius sicut Andradius concilij Tridentini. Fuit itaq; & est mea constans & semp eadem confessio, quod Deus in Christo Iesu, omnes homines ante secula elegerit & prædestinauerit ad vitam æternam. Et est ea ipsa, quam Gerlachius iterum confitetur, & quam opera collegarũ suorum in me persecutus erat, vt infra monstrabitur.

C

Quòd Theologi Wirtenbergici, inter quos Gerlachius vnus, hanc meam confessionem de electione vniuersali condemnârint & persecuti sint.

Consentiunt
cum Hun-
nio

Hunnio
contra vni-
uersalem.

NB. Non
duas

Hic aggrediendus iam est Gerlachius, vt intelligat, hanc confessionem ab ipso esse condemnatam: Et eo factò prolapsus eum esse, in Diaboli laqueos & horrendam Apostasiam: Atque ante omnia cõstare debet, quòd Hunnianæ particulatiõni contra vniuersalem electionem sine omni exceptione non semel tantum abnegata fide sua, subscripserit, sicut extant verba ipsius & collegarum suorum ad Hunnium part. act. i. fol. 55. Ad nos quòd attinet (inquiunt) *Nos per omnia vestram amplecti sententiam, vobisq; subscribere & astipulari literæ, quas in hoc negotio ad D. Huberũ dedimus, prolixè testantur; Iam ex Hunnio demonstrandum est, quòd summa vi doctrinæ de vniuersali electione in tota hac controuersia se opposuerit. In libro Explic. controuersia, Sic inquit: A. 2. b. In controuersia est. an quemadmodum voluntas illa Dei, satisfactio filij Dei, & promissiones Euangelij sunt vniuersales: Sic quoque vniuersalis dicenda sit electio, ita ut statuatur Deum pariter & ex æquo, Omnes homines elegisse ad vitam æternam: Affirmat Huberus Negamus nos ceteri illius Collegæ.*

Fol. A. 4. b. Particularis dicitur, *Non quòd alia quadam sit electio vniuersalis, cuius relatione hæc particularis appelletur, vt D. Huberus imperitè arguit.*

Fol. B. 1. b. Et quid attinet *Duas tradere sine electiones, siue prædestinationes ad vitam æternam? Vniuersalem vnã, particularem alteram, quarum, vtraq; facta sit, ab æterno, quarum vna, nempe vniuersalis Possit irritò euentu euacuari, altera verò quam nos docemus, cuius Deum pœnitere non possit.*

Ex Hunnio habemus 1. Nullam esse vniuersalem electionem. 2. Non esse duas ab æterno 3. Nullam irritò euentu euacuari posse. Idem docet in thesibus suis de prædestinatione & expressè thesi. 106. Itemque de pro. & prædest. fol. 408. Et quid multis? idem semper tradidit in omnibus scriptis de hac controuersia editis. Et ne quid temerè elapsus putemus, audi conuitia, appellat vniuersalem electionem, *mendacium, cõfutat. præfat. 114. Et cum collegis suis, in communi confessione, appel-*
lat

lat *Falsum Euangelium*, fol. 1. 8. 12. Polycarpus interpres sectæ huius dicit nullam vniuersalem affirmari posse respectu Dei, quia Christus dixerit Pauci electi. Fol. 28. Aliam adhuc addit causam, quia Deus viderit non omnes credituros, Hæc de Hunnio & collegis ipsius qui simpliciter negant vno ore omnes, & in omnibus scriptis de hac materia editis vniuersalem vnquam extitisse omnium hominum electionem ad vitam in Christo, Quòd autem cum Hunnio Gerlachius per omnia consenserit suprâ est indicatum.

Iam de wirttembergicis inter quos hic noster est Gerlachius, dicamus. Improbârant illi & sententia sua damnârant doctrinâ de electione vniuersali, sicut abundè iu libro actorum ipsimet prodiderunt. Scribunt enim ad D. Samuelem Huberum wittenbergam, par. act. 1. fol. 38. Non nisi credentes, & perseueranter quidem credentes, in Christo elegit. Ibidem *Eodem omnes consilio* suademus & hortamur, vt ab ista deinceps locutione (vniuersalis electionis) *Prorsus abstineas*.

In Epistola ad Theologos Wittenbergenses, ita scribunt, par. 1. Ibi fol. 63. Electionem propriè tantùm ad filios Dei pertinere dicimus. Hortantur ibidem ad finem, vt Vvittenbergenses se non abduci sinât in sententiam de vniuersali electione.

In Epistola Secunda ad Huberum. fol. 70. Ac initio quidem maiorem in modum miramur, cur *Erroneam tuam de electione & iustificatione vniuersali* opinionem nobis affricare, nosque in *Erroris tui* societatem pertrahere velis.

In eadem Epistola, fol. 74. Et agnosces te minus propriè esse locutû: posthac verò recepta forma loquendi, vtaris &c: Sin minus, *aduersa, Inuersa & Contraria* erunt omnia: nec fratrem te deinceps, quippe infanabilem & inexpugnabilem agnoscemus.

Epistola ad principem Vvirttembergicum ex conuentu celebrato Bebenhusij, fol. 262. *Als huber aber noch kaum in Sachsen bei der hohen schul zu Vvittenberg ervvaermet, hat er sein opinionem vnd besondere lehr, von allgemeiner ervvelung aller menschen vviderumb auff die ban gebracht, vnd zu verthetigen sich vnderstanden.*

Ibi in tertia ad Huberum Epistola, fol. 295. *Ihr vvöllet der kirchẽ mit diesem neuen dogmate de electione vniuersali, verschonen.*

Ibi fol. 268. *So müste Gott mit seiner election einen groben misgriff gethan vnd damit vweit gefehlet haben, vveil deren unzelich viel verdampt*

*Neminem
damnari,
qui ad vitam
sit electus.*

vverden, die doch er, eurem surgeben nach, zur ewigen seligkeit eligirt vnd prædestinirt hatte.

Hæc Theologi Vvирtenbergici, in his Gerlachius mota controuersia, vno ore & calamo, communi consilio & eodem sensu scripserunt contra electionem vniuersalem ad Huberum, ad Hunnium, ad cæteros Theologos, ad Principem Administratorem Saxoniam, & ad Principem Vvирtenbergicum consilio inter ipsos communicato totoque negotio cõmuni deliberatione perpensõ, Theologi hi sunt, D. Iacobus Herbrandus D. *Stephanus Gerlachius*. D. Matthias Hafenrefferus. M. Ioannes Magirus, D. Lucas Ofiander, M. Vvilhelmus Holderus, D. Andreas Ofiander, M. Felix Bidenbachius.

*Fundamēta
abnegate
vniuersali-
tatis.*

Fundamenta autem, quibus electionem euertere conati sunt, isthæc sunt. 1. Nullam esse vniuersalem traditam in sacra scriptura. 2. ibi tantũ esse particularẽ. 3. Cũ Hunnio omnia in cõfessione ius cõmunia habere volunt. 4. Errorẽ esse & erroneã opinionẽ. 5. Dogma nouũ. 6. Argui ex eo, Deum cæcitatũ, 7. Neminem perire, qui electus sit & prædestinatus. 8. Omni Huberum esse abdicandum fraternitate, nisi doctrinã & phrasin abijciat de electione vniuersali. Iam adde quoque Hunniana Emblemata, *mendacium esse & Euangelium falsum*, vniuersalem electionem. In his omnibus hoc quoque notabis. quod nullam nouam à me excogitatam esse clament, sed hoc vnicum accusant quod propagem eandẽ quæ asserta erat Tubingæ. In Scholiis quoque virulentissimẽ insectati sunt eandem confessionem, par. 1. act. fol. 255. & fatentur part. 2. fol. 170. quod scripserint & iudicãrint à phrasi vniuersalis electionis esse abstinẽdum. Satis iam probatũ, quod Vvирtenbergici omnes pariter & in his non postremus D. Gerlachius pro defensione Hunnij, veritatem hanc Euangelij à Deo omnes in Christo esse electos & destinatos ad vitam, turpi defectiõne blasphemãrint, & hunc in Saxonia excitãrint periculosissimum & ominosissimum motum, in quo adhuc trepidat.

Iam subijcienda sunt etiam aliqua singularia de Gerlachio nostro. Is disputationem Tubingẽ à me habitam non modò vidit, non modò approbavit non modò celebravit: Sed præsidio quoque suo ornauit, & amplificauit. Prolixẽ ibi & fusẽ vniuersalis contra omnes particularios defensa fuit electo, & quicquid contra obijci potuit, laude & studio sumõ ab eo non minus quam à me confutatũ erat. Et ne mea dũtaxat videre-

tur

tur approbare contra aduersarios, ipsemet in explicanda Epistola Pauli ad Ephesios, neruofè & solidè doctrinam hanc tradidit, & studiosis inculcauit, vt in Ecclesia contra errores tuta & inuiolata conferuaretur. Vbi usus est hisce argumentis, non conditos esse homines ad Dei imaginem, non redemptos esse à morte, nunquam serio & verè vocatos esse ad vitam, nisi electi sint ex æquo omnes ante iacta fundamenta seculi in Christo ad vitam: Imo Apostolos, verum Euangelium prædicare non potuisse, nisi innixi fuissent, hoc fundamento, omnes indifferenter, & sine exceptione electos esse à Deo ad vitam, quibus Euangelium de Christo Iesu prædicârunt. Idè Gerlachius vnà cum collegis suis thesaurum approbavit Vogeli Abbatis, latino primùm, deinde post aliquot annos germanico euulgatū idiomate, in quo splendidè fuit & copiosè asserta vniuersalis electio. Idè ipse in eadè doctrina & confessione fuit educatus: Nam Domini Brentij Catechismus, Symbolū cōfessionis in Ecclesia Vvирtenbergica hanc continet doctrinam, & in eiusdem Brentij commentario repetita est, Psal: 31. vbi istud in Ecclesia & schola Vvирtenbergica semper personuit, quàm diu in Symbolica cōfessione perstiterunt, omnes esse ad vitam, vt creatos, ita etiã electos, & multos electionis beneficio non frui, licet ad vitam fuerint electi. Hæc facta sunt antequam Huberus in Ducatum venisset Vvирtenbergicum, Nihil ergo leuius & inconstantius à quoquam fieri potuit, quàm quòd Gerlachius & socij subito ad Hunnij & Polycarpi postulatum ab ista sua defilierunt confessione & q̄ librū postea duabus distinctum partibus, contra seiplos & contra Ecclesiam Vvирtenbergicam euulgârunt non sine manifesta Apostasia macula & impia fraude contra Magistratum atque vniuersam prouinciam illam. Verum hic iam sistamus gradum, demonstratum enim satis, Gerlachium vt Apostatam & fidei suæ proditorem atque persecutorem perfida violentia agnitã & celebratã à se veritatem oppugnâsse & persecutum fuisse.

CAPVT QVINTVM.

De Gerlachij reditu ad Pristinam fidei confessionem.

BONIS auibus, Gerlachi, malitioso quidem animo redis. Attamen redis, & illam, quam ex Saxonia & Ducatu Vvирtenbergico profli-gare voluisti fidem, (licet irritò conatu) iam de nouo profiteris, & ape-

ris tuas sociorumque tuorum terrificas furias, quibus acti, spiritui sancto bellum intulistis. Et approbas iterum ea, quæ ex vniuerso Christiano orbe profligare & exturbare voluisti. Sic enim testatur, thes. tua
Gerlachij 33. Hoc sensu orthodoxo nos phrasin electionis vniuersalis in thesibus Huberi eiusdem. (Christum Iesum mortuum esse pro peccatis totius generis humani.) admisimus, & in explicatione Epistolæ ad Ephesios usurpauimus, neq; dum eâ hoc modo explicatam damnamus. Hæc est ipsius assertio & reditus ad nos. Quod autem inspergit de Huberi alienissimis opinionibus, spuma est frementis animi, & ideo excernitur, vt suum Apostata occultet refluxum ad sententiam & confessionem, cui cum spiritus lucis adhuc in corde ipsius habitaret, addictus erat, & conatur à se non modò crimen Apostasiæ sed culpam etiam amoliri, tot cæsarum animarum horribili isto dissensionis scandalo, & causam fingere, ne vir sanguinum & seditionum cogatur in Ecclesiæ oculis istud deprecari & eluere nefas. De opinionibus meis nihil est, quod mihi affricet. Illam ipsam, & nullam aliam confiteor & amplector, illam ipsam confessus & amplexus sum sententiam de electione, quâ ex synceris Theologis ipsemet thesibus istis 30. 31. 32. recitat, & comprobat, & quam thesi 33. pro ipsissima iterum agnoscit, & inuicta veritate cœlesti.

Admittit vniuersalē. Sunt autem in hoc ipsius reditu ea commemoranda, quæ cum primis, notatu sunt digna. *Primò* affirmat, quod vniuersalem electionem admiserit, & adhuc admittat. Accipio hanc confessionem. Quid autem ipse, & socij patrârint in eiusdem oppugnatione, supra est indicatum, atque ego testor Deum, & testantur omnia scripta mea, quòd nullam aliam vnquam tradiderim, quam hanc ipsam, quæ ipsius iam calculo approbatur ex consensu syncerorum Theologorum, in quatuor illi thesibus. Atque hic iam effulget illud Gerlachianæ Apostasiæ spectaculum.

Theologi synceri. Deinde, hoc quoque testimonium volo integrum & fulgidum manere, quòd Synceri Theologi hoc ipso sensu ita vsurpârint. Hûc ipsum sensum & in eo fundatâ electionē si perscripissent in Saxoniam, repulsi fuissent Hunnius & socij, à conatu perdendæ Ecclesiæ, neque vnquam tanta in visceribus Ecclesiæ nostræ dissensionis accensa fuisset fax. Vbi erant calami vestri, vbi digiti vestri, vbi capita, vbi corda, vbi conscientiæ vestræ, uos Theologi, cum contrarium scriberetis in Saxoniam? cum simpliciter pro hæresi damnabatis doctrinâ de vniuersali electione?

Ter-

Tertiò, id quoque fulgere debet quòd locum Eph. i. Gerlachius explicauerit de vniuersali electione, & quòd splendide eum explicarit supra est indicatum. Vbi verò nunc ille cum Hunnio per omnia consensus? Is enim toties rabie diffilire vult, quoties locus ille accipitur de electione vniuersali ad eam probandam allegatur. Et iam repetat Gerlachius, quæ Hunnius scripsit libro, de Explic. controuersia D. 3. a. Ostendat (inquit Hunnius.) nobis D. Huberus, vel *Vnum interpretem*, qui hanc Epistolam Paulinam ex professo enarrans conatus saltem sit hanc sententiam *ad vniuersum mortalium genus* referre. Vides iam Hunnium? Vides te ei contradicentem? Et hoc quoque libenter audimus, quod Hunnium & Theologos Wittenbergenses vestraque lurida colaphizas acta & vanum testimonium, locum hunc iuxta librum concordia non nisi ad credentes esse accommodandum. Aut ergo vim facitis libro concordia, aut turpiter deficitis ab eo. Hæc in vna illa thesi extant, ut appareat torrida viri istius conscientia sub iudicio Dei. Affirmant esse vniuersalem Electionem, & in Ecclesia vnam à synceris assertam & traditam Theologis, atque eò pertinere locum Eph. i. ô fulmina cur ista tacuistis & occultastis? Cur tu, tu Gerlachi ista oppressisti, cum vestrum aduersarij confugiebant testimonium. Non autem fatiseft dicere, nolle. Porro hanc sententiam damnare: Sed cum eam horribiliter damnarint apostaticis furoribus & falso cum testimonio tum iudicio quod miserunt in Saxoniam, tempus est, vt facinus agnoscant, confiteantur & deplorent, atq; immane scelus deprecetur apud Principes atque Magistratus, quos foedè deluserunt, atque ut reducant animas, quas Hunnius, dum ei succenturiati assiterunt, seduxit.

Locus Eph. i

Quartò adiungit se iterum Gerlachius Brentio, eiusque de vniuersali electione confessioni, quæ sonat, non minus omnes electos esse ad vitam, quàm creatos: omnes quotquot vocati sint à Deo electos esse ad vitam; quanquam non omnes vitæ fiant participes, qui ad vitam erant electi. Hæc est confessio Brentij, & ita ab eo scripta & tradita in Ecclesia Vvitenbergica. Ist hæc tu iterum approbas, sed nequaquam sunt Hunniana, & non olent amplius consensum cum Hunnio: non sunt istiusmodi qualia scripseratis vos Theologi aduersus me in Saxoniam. Euidētissimum etiam hoc in Brentio, quod is in locis allegatis non dicat, posse electionem vniuersalem, dici voluntatem Dei nos in Christo saluandi, vt Sycophantæ inde colligendi prætextum & ausam querant,

Brentij confessio.

quasi impropiam admiserit locutionē. Omnis hic præciditur prætextus, & omne obstruitur effugiū, cū Brentius dicit, quòd Deus elegerit omnes ad vitā, elegerit omnes, elegerit omnes, & nō minns elegerit quā creārit omnes ad vitā. Vide in Apologia mea copiosius verba Brentij, cap. 27. Ad istā confessionem videat nūc Hunnius reflexum & retractum suū Gerlachiū, cuius ope & auxilio fretus ipsius falso testimonio, hanc ipsam doctrinam excindere voluit ex vniuersa Ecclesia.

Vitus Theodoricus.

Vogelius Abbas.

Quinto, Brentio adiungit Gerlachius reliquos quoque synceros Theologos, qui confessi sunt, non paucos, sed omnes homines à Deo electos esse ad vitam: in quibus est vitus Theodoricus Theologus sua ætate celeberrimus, qui in Scholijs Bibliorum super locū Matth. 20. ita scripsit: In verbis *pauci electi*, non est sententia, quasi Deus ab æterno paucos elegerit & prædestinārit ad salutē. In quibus etiam est Erasmus Sarcerius, qui veritatem Euangelij vllam esse negavit, nisi vniuersalis statuatur electio. His adiungit sine dubio Vogelium Abbatem, qui prædestinationem & vocationem probat in pari esse latitudine, & comprehendī vtrinque omnes homines ex æquo. Plura Syncerorum Theologorum in eadem confessione testimonia inuenies in Apologia mea, cap. 27. & ibidem quoque Mamphrasij & Milij rotabilium, & versatiliū illorum Theologorum; quorum operā in restauranda Saxonica Ecclesia Princeps Administrator non sine magnis sumptibus vsus erat. Hi duo sunt, qui in ipso reformationis opere, scribendo, concionando & reformando, vniuersalem electionem vno eodemque consensu vt & cæteri omnes tradiderunt, execrati in Tartara vsque particularitatem electionis nihil ibi exceptum de fide præuisa. In gratiam autem Hunnij postea confessionem suam atque vniuersam reformationem notoria & infausta fraude, & perfidia, subuertere conati sunt. Iam Gerlachius perfidorum istorum castra deserens, imò reditu ad nos & non obscura amplius confessione culpæ castra illa accēdens, sinit socios in perfidiæ crimine ardere & deflagrare. Is iam noster esse vult. Hic illorum est consensus, postquam Deus iam vt pateas eos dispergere cœpit.

Nulla catachresis.

Sexto, in assertione vniuersalis electionis nullius meminit καταχρησως Gerlachius, vt à socijs prætendi possit, fucatè & abusiue ab eo hanc iterum agnitam & assertam esse. Nec admittunt Catachresin fundamenta, quæ ibi sunt posita: Sicuti testimonia ex Brentio Sarcerio, Vogelio,

gelio, & Vito Theodorico manifestè indicant. Adde quòd vniuersale facit consilium, & propositum Dei nos saluandi: Hic recedit aut fugit potius ex professo ab Hunniana particularitate, verumq; astruit vniuersalis electionis verum, qui vim suam habent in efficaci illo proposito & consilio Dei, nos per Christum saluandi, ex quo etiam stipulæ Hunnianæ de fide præuisa, vno ictu, deiiciuntur. Quapropter manifestum, quod ista Gerlachiana noua & denuo repetita confessio, nullam admittit Catachresin. Aut si maximè hac assertione occultum & fraudulentum aliquid foueret in corde non tamen aliter, quàm de vera, & propriè dicta vniuersali electione, verba ipsius accipi possunt. Non autem de corde, sed confessione ipsius, disputamus. Accedit his omnibus quòd vocabulum electionis non dirigit cum suo significato ad respectum aliquem separandi, sed ad respectum miseriarum nostrarum, cum nimirum prostrati in morte & interitu, ab interitu, & morte, per Christum electi sumus, ad vitam, thesi. 30.

Rectè significatum vocabuli in isto demonstrauit fundamento, si in nobis aliquis respectus considerari debeat.

Septimo: quod ad meam confessionem redeat eo quoque demonstrat quod Hunnium inducit in confessione vniuersalitatis dissidentè, thesi 34. Vbi notandum, si vniuersalem, per Catachresin vsurpandam statuere voluisset, nullius dissensionis mentionem facere poterat: non enim ab Hunnio dissentiant, qui contrarium loquuntur & confitentur, si modo per Catachresin seipso explicent, id est, si ea ipsa mendacij euestigiò arguant, quæ dicunt & asseuerant. Mirabile autem hoc, quòd cum Hunnio discordante, & vniuersalem electionem eodem semper anhelitu pernegante, concordare vult: Indicium hoc est animi ab omni veritatis tuendæ studio, & amore prolapsi & furentis contumaciter contra Spiritum Sanctum. Huc pertinet illud psal. 59. Doctrina labiorum eorum est peccatum, perducant in superbia, & prædicant tantum maledictionem & contradictionem.

*Dissentire
ab Hunnio.*

Octauo: grauius & multoties inculcat Gerlachius nullam particularem electionem vniuersali contradictoriè opponi posse. Ergo statuit veram vniuersalem, & hoc ipso testimonio verè auulsus ab Hunnio, qui suam, electionem contradictoriè opponit vniuersali, ex qua oppositione nostra hæc oritur controuersia. Cum itaq; tam præuisionaria electio, quàm illa, quæ ex absoluto ducitur decreto, vniuersali contra-

*Non contra-
dictoriè op-
ponendi.*

D

dictoriè & ex diametro opponatur, manifestè nostram probat vniuersalem, damnato Hunnio in sua particulari.

In Vol. Vniuersali.

Nonò: collocat electionem vniuersalẽ in voluntate vniuersali. Hanc vniuersalem voluntatem describit esse volũtatem omnes homines per Christum, & per fidem in ipsum, saluandi, thesi 24. Hęc nostra quoq; est sententia. Sicut autem in vniuersali voluntate fides non consideratur vt ipso actu existens in homine, (alioquin non vniuersalis sed particularis esset voluntas,) ita etiam vniuersalis electio fidem quidem requirit ab homine, non autem ad sui constitutionem fidem actu existẽtem, aut præuisam actu futuram, requirit: ideoque etiam hac in parte Gerlachij confessio nostræ, quam olim vnà professi eramus, verè est congrua: Neque prius hinc discedere poterit, quàm vniuersalem volũtatem noua excarnificãrit particularitate.

Isthęc sunt fundamenta, in quibus veritas electionis vniuersalis iterum est asserta, & in qua assertione ad nostram iterum respicit Ecclesiam, quam veritatis persecutione euertere voluit. Et nisi maturè respiscat, ijs oculis hęc mox respiciet, quibus Iudas aspiciebat Christum, tractum ad tribunalia Caiphæ, Herodis, & Pilati, perfidia ipsius prodium damnatum & crucifixum.

CAPVT SEXTVM.

Quomodo hac repetita sua confessione, Gerlachius sese ab Hunnio & socijs Apostasiæ, auulserit.

Assertio vniuersalitatis.

EX superioribus argumentis aliqua insigniora hic subijciemus. *Primò:* statuit electionem vniuersalem, quam ipse & socij ex Saxonia & Wirtenbergico ducatu extirpare omni vi & arte conati sunt, & cum primis hoc spectatu dignum, quòd reprobauit iam vim separandi in vocabulo eligere, cui vni & soli propè totum suum superstruxerant ædificium.

Omnes seruare.

Secundò: recedit ab Hunniano qui negauit Deum unquam voluisse omnes homines seruare: Atq; ita negauit, vt Tossano objicienti, quòd tradiderit aliquando Deum voluisse omnes; *Seruare*, dicat mendum esse Typographi, si quid tale in suo habeat exemplari. De prou. & prædest. in præ-

præfat, b. 2. b. Nec mirum, quòd tam strenuè neget, aut si quando scripserit, iam retractet, quia principia habet, ita instructa, & compata ut non possit id concedere: nam *Saluare seu Seruare* collocat in voluntatem consequentem adstrictam ad paucos tantum, vbi etiam opinione illius decretum saluandi suum habeat locum, vnicum & proprium. In antecedente autem voluntate vbi concedit esse vniuersalitatē nullum ibi Dei actum ad saluandum nos, concedere vult, Hæc iam reprobatur & condemnat Gerlachius.

Tertio: electionē stabilit, in voluntate Dei generali, & exporrecta in omnes homines. Atque ibi Gerlachius rectè dicit, quòd illa voluntas, quam idcirco antecedentem appellat, præcedat considerationem inobedientiæ, & impœnitentiæ, thesi 40. Hoc enim vult, ibi nullam factā esse separationem propter aliquam incredulitatem hominum vel actum existentem vel præuisam: qua propter etiam nulla ibi etiam secundum Gerlachium est consideratio, quatenus homo credit aut non credit, sed quatenus credere debebat, & ordinatus est ad credendum. Hæc explicatio benè est notanda, alioquin posita fide in actu, aut ita præuisa, ut præcedat ipsam voluntatem Dei, ut Hunnius vult, nullam facit vniuersalem Voluntatem, & per consequens etiam nullam vniuersalem electionem. Benè ergo se habet, quòd Gerlachius electionem, & vniuersalem voluntatem, atque vniuersale propositum omnes, omnes inquam per Christum saluandi, cum orthodoxis, absque vlla Catachresi propriissima habet electione Dei, sicut est videre, thesi 30. Atque id contra omnes suos socios: Illi enim expressè statuerunt in voluntate antecedente nullam esse collocandam electionem, sed tantum in voluntate consequente aut particulari. Hunnius in thesibus Hub. oppositis, th. 78. & 132. De prou. & prædest. fol. 646. 672. Theologica facultas Witten. in confess. fol. 24. 117. 118. Videt autem iam Gerlachius impiā hanc doctrinam consistere non posse, si electionis in consequente voluntate ortus & principiū constituatur: ea enim ratione si nulla prius ex Deo præcesserit Electio, fides causam facit electionis, atque sic fide præueteremus Deum eligentem nos.

Quarto: in memoriam hic redeat, quod suprà est indicatum, damnari à Gerlachio quamuis particularem Electionem, quæ opponitur vniuersali. Talis autem est Hunnij particularis electio, ideo inuenta, ut per eam, & rebus, & verbis vniuersalis pernegetur, & tollatur, ergo iam

Gerlachius cum Hunniana electione nihil omnino amplius commercij habet.

Præuisa fides.

Quinto: Quia præuisianana electio non extenditur ultra credentes & in cælo glorificandos, sternit iam Gerlachius illud quoque Hunnij fundamentum de præuisa fide. Hæc est causa, quod in tota disputatione sua (licet fugiturus iam à socijs, Iolam suam adhuc molliusculè & blandiusculè osculetur) Embryonem tamen illum de præuisa fide attingere, & lingere nõ fuerit ausus.

Sexto: iam illud quoque Hunnianum euertitur à Gerlachio, esse ante iacta fundamenta seculi tantum credentes electus ac prædestinatos ad vitam Hunnij verba quod electio non nisi credentes complectatur & perseuerantes in fide: & quod sub electione non sint, qui fide carēt: quod omnes credant, quotquot prædestinati & electi unquam fuerunt ad vitam: & quod Deus electurus fuisset etiam cæteros, Si credidissent, inuenies explic. cõtrouersia inter &c. fol. A. 4. b. B. 2. a. b. C. 4. a. de prou. & prædest. fol. 353. 362. 368. 384. 394. 396. 403. 431. 433. 439. 450. 461. 462. 463. 470. 474. 475. 477. 482. 504. 509. 559. 567. 581. 613. 626. 633. 634. In thes. Hub. oppositis thes. 63. 124. In confutat. præfat. fol. 26. 27. 28. 37. 38. 60. 61. 112. Idem quoque clientuli ipsius, Theologi Wittenbergenses in confess. fol. 11. 87. 104. 105. 387. Sic ipsi quoque Theologi Wittenbergici par. act. 184. vbi dicitur *Nunquam sensimus* Deum indiscretè omnes homines, siue credant siue non credant, ad salutem elegisse. Idem inuenies, fol. 91. 189. 312 & parte 2. fol. 74. Non elegit Deus unquam crediturus. Ibi folio, 200. Sine fide futura in hominibus *Neminem ad vitam elegit.* Ist hæc testimonia tanto recenseo numero, vt demonstratur Gerlachium hoc suo reditu penitus dissiliisse à Vvittenbergensibus, à Vvirtenbergicis, & à seipso, spirante persecutionem in Saxoniam contra electionem vniuersalem, & iam partes particulariorum amplius tueri non posse.

*Non posse pe
rire quos
Deus elegit.*

Septimo: quod perire non possint, qui electi fuerunt ab æterno. Gerlachius asserta vniuersali electione iam quoque improbat & reijcit: antea autem hanc pestem Calvinianam cum socijs communem habebat, cum electionem tantum ad credentes ac perseuerantes astringeret. Scribunt enim hi, nullam esse electionem, nisi prius visa in homine perseuerantia fide: nullam esse, quæ irritò euentu euacuari possit: nullam esse, vbi salutis non fiant participes, qui electi & prædestinati fuerunt
ad

ad vitam: prædestinatos eò omnes certò peruenire, & consequi finem
 vltimum, ad quem à Deo ordinati erant, *Sonst hette Gott einen mißgriff
 gethan*: Neminem prædestinatorum in Christo ad vitam, condemnari,
 aut perire: & quotquot pereunt, à Deo ad vitam nunquam fuisse ele-
 ctos, & ordinatos. Horum verba lege, Hunn. explic. controuersia, inter
 &c. B. I. b. 3. b. 4. a. b. de prædest. 386. 480. 481. 483. 484. 499. 526. 567.
 699. 600. 702. 704. 713. Idem, in confutat. præfat. 121. In Rungiana dispu-
 tat. thes. 17. 106. 107. 198. Polycarpus in resp. ad examen, 363. 364. Theo-
 logica facultas Wittenberg. in confess. 110. & Wirtemberg. Theologi, *Eligi & a-
 ctu saluari.*
 par. I. fol. 268. iam illud quoque tradunt, eligi ad vitam & actu habere
 vitam æternam, terminos esse conuertibiles, ideoque neminem eligi,
 qui non saluus fiat, & ob hanc causam pereuntes ad vitam nunquam
 fuisse electos & prædestinatos: eiusdem esse latitudinis electum esse ad
 salutem, & saluum esse actu: Prædestinari, & saluum fieri, in idem co-
 incidere: Hun. de prou. & prædest. in præfat. a. 6. a. Ibi fol. 567. 669. 700.
 Idem in confutat. præfat. fol. 47. Et in thesibus Hub. oppositis 24. 25.
 61. 67. Theologi Vvittenberg. in confess. fol. 76. 87. Theologi Vvir-
 temberg. part. I act. fol. 304. Hoc pertinent omnia ea, quæ laboriosè cõ-
 quirunt vt probent, neminem excidare posse, qui semel sit scriptus in
 libro vitæ. Perspicuè itaque demonstratum est, quòd tradant, neminẽ
 prædestinatorum perire posse. Cum horum confessione Thomas A-
 quinas planè concordat, qui scribit in summa Theol. par. I. quæst. 24.
 par. 6. Prædestinatio (inquit) certissimè & infallibiliter suum conse-
 quitur effectum. Et hic sunt Calvinianæ illæ syrtes, quibus absorbent
 animas.

Hæc cum confessi essent Theologi tanta verborum proluvie in o-
 mnibus suis scriptis, videas tamen quomodo Hunnius ad dissoluendũ
 hoc ei obiectum crimen, sese torqueat in thes. Hub. oppositis, 10. & 11.
 Cuperet negare factum, nisi vectes obluctantium principiorum suo- *Hunnianæ
 negat.*
 rum, cum reprimerent, & ipsa etiam impietas toties in libris suis asser-
 ta & repetita, ideoque solus inficiari non audet, verum cum munitus
 scribit & circumseptus suis clientulis Theologis Vvittenbergensibus,
 fiducia præsidij in ore plurium falforum testiũ, ita erumpit in cõfessio-
 ne illa, fol. 6. *non pudet* (inquit) *Huberũ nos accusare*, perinde idẽ sit nobis
 ipso actu saluari, & ad salutẽ eligi. Hæc ibi: Cur verò Huberũ puderet id
 recensere, & patefacere ex scriptis ipsorum, quod totidem verbis ipsi-
 met

met iterum atque iterum loquuntur? Et illi ipsi Theologi, si quem amplius ruborem habent, desinant isthæc scribere & spargere in totum orbem, & desinant principia collocare, ex quibus ista sobolescit impietas: Pudere eos oportebat toties hæc scripsisse, & tamen inficiari: Imo pudeat isthæc negare in eo ipso libro, in quo idem iterum fatentur, fol. 20. Ad vitam (inquiunt) aut salutem eligere & prædestinare nihil est aliud, quàm ab æterno decernere ipso actu saluare. Hæc ibi: frustra ergo factum pernegant, & sic conscientia pus non abstergitur nec fumes sulphuris in corde extinguitur. Longè autem euentissimū hoc, quod negant quemq; horum incredulum fieri, qui electus & prædestinatus fuerit ad vitam. Polycarpus respons. ad examen, fol. 46. Et Hun. explic. contro. B. 3. 6. Quicumque sunt electi non pereunt in æternum, sed in fide perseverant vsq; ad finem. Hæc illi: Quid nunc, quòd scilicet Hunnius de prou. & prædest. fol. 404. 408. sibi iniuriam fieri, quòd scripserit, neminem electorum incredulitate salutem sibi excutere posse? Notabis hanc ipsorum fraudem: concedunt incredulitate excuti fidem, at electorum aliquem fieri incredulum, id pernegant. Qua ergo versutia Ecclesiam ludificentur, cum videntur negare quod scripserint quemque electorum perire posse vnicuique facile patet.

*Propositum
vniuersale.*

Octauo: auellitur Gerlachius hic quoque à socijs, cum. (vt suprà indicatum est.) in Deo facit, propositum & decretum vniuersale nos per Christum saluandi. Hunnius & socij adstrinxerant illud ad solos eos, qui finaliter salui fiunt, ideoq; duplicem fecerunt voluntatem in Deo, aliam approbantem, vacuam proposito & decreto, & aliam spirantem cum proposito & decreto, quæ euentu irrita nunquam euacuari possit. Vide disp. Rung. thes. 16. & 17. & ibidem thes. 44. sic legimus: Quandoquidem ab æterno decernere & saluare & ad salutem ab æterno eligere prorsus æquipollent. Hæc ibi: & nouimus abundè, quòd eligere non nisi ad paucos determinet Hunnius Idem habet in confutat. præfat. fol. 45. Et in lib. de prou. & prædest. decreta facit duo, quæ posita sint tantum in vol. consequente, in præfat. a. 4. b. Vbi istud vult, nullum esse decem & planè nullum in voluntate, qua dicimus Deum velle omnium salutem, aut si aliquod ibi statuatur, fictum id nuncupant ipse & collegæ eius, vt ostendant verum esse decretum tantum in voluntate consequente; qua de re vide ipsorum verba, in confess. fol. 103. Sed quid multis? ibi disertis verbis tradunt, nullum esse decretum in hac voluntate, qua
Deus

Deus velit omnium salutem, vt ordinet omnes homines & destinet omnes ad vitam. Et fol. 87. effectum salutis cum decreto saluandi metuntur eadem latitudine. Hoc ipsum voluerunt Theologi Wirtenbergici, vbi part. 1. fol. 302. statuerunt, licet voluntas ad omnes extendatur, non tamen destinationem ad salutem, simul extendi. Quis verò non intelligit, auulsa destinatione à voluntate, nullum consilium & propositum superesse, & nihil nisi voluntatis ludibrium seu volūtatem inanem esse.

Horribiles hinc oriuntur blasphemias contra Deum. Nam ex hac voluntate, vacuam quam faciunt ordinatione, & destinatione ad vitam educunt vocationem ad vitam, & ideo distinguunt inter vocationem efficacem, & inefficacem. Illam appellant vocationem cum proposito, seu ex electione particulari præfectam vocationem, eò, quòd inde ortum suum habeat: hanc verò sine proposito. De quo vide Hunn. de prou. & prædest. fol. 289. 291. 426. 479. Quod apud sectam istam ita debet esse certum, vt dicant homines in credulitate sibi causam facere, vt non vocentur iuxta propositum, confess. Wittenber. Theol. fol. 53. Nihil dico quàm hoc sit erroneum, hominis impediri incredulitate propositum Dei in vocando nos ad salutem, aut fidem. (quod iam ex opposito valet) causam esse propositi, nihil etiam de hoc dico, quomodo in eodem folio id ipsum excreant & iterum conculcent: Satis est, quòd intelligimus illorum opinione non vocari omnes homines iuxta propositum, aut si illo vocentur, ficto id fieri proposito, atq; insuper miseros homines reos fieri in credulitatis nullo vnquam proposito Dei vt salui fierent, aut ficto duntaxat, vocatos. Hic Zuuinglianus Spiritus corda eorum penitus afflauit. vide Zuuingl. de prouid. lib. 6. fol. 53. Solent præterea Zuuingliani vocatos absq; proposito, aut cum ficto proposito appellare *vtcunque vocatos*. Hunnius, cum proposito vocatos, appellat *die rechtberuffenen*, quod idem est cum hoc, vbi dicunt, vocatos esse ex decreto vero: iam ergo cæteros omnes Hunnius appellare posset *die falsch beruffene*, aut latinè vtcunque vocatos: Et collocat sub hunc complexum vocatos vniuersali voluntate Dei. Hic Osiander describit suos electos, qui soli ratione huius propositi credere possunt, reliquis exclusis. Idem Polycarpus in concionibus Catecheticis, fol. 48. vbi dicit certum esse conscriptum à Deo numerum destinatorum ad salutem, in quibus efficaciter operetur ea, quæ ad salutem pertinent. Eò omnia etiam

*Vocatio ab-
que decreto.*

ista tendunt, cum Hunnius particularem facit electionem, & hanc fidei statuit causam, ex illo proposito effluentem, quod irrito euentu euacuari non potest. Hac illorum & doctrina de proposito Dei saluandi nos, affixo & limitato ad particulam humani generis. Cæteri mortales omnes vocantur absque villo proposito, iuxta illorum opinionem: aut si maximè decretum iam concedant, fictum tamen & hypocriticum esse dicunt. Spurcius & scœdus nihil dicere & nihil contra meliosius aduersus Deum excogitare poterant.

Atrocitatem ipsimet vident culpæ & abnegatæ veritatis, quapropter videnter alicubi iam contradicere velle superioribus blasphemijs: Nihil autem integri & sani est in omnibus, quæ iam melius dicere videntur. Antiquum hoc est artificium Diaboli, & ludunt æqui vocationibus, videntur sua retractare, & veritati accedere velle: Mera autem est fraus, & ludificantur Ecclesiam. Sic Hunnius commendat librum Actorum à Wirtenber. conscriptum, in præfatione suæ disputat. Hub. appositæ, asseuerans, ibi omnia esse verè & orthodoxè scripta: quanquã nõrit ibi expressè haberi, particularem electionem esse ex Deo, quod ipse nunquam non improbauit. Et docent illi ibidem, quod homo possit reprobari & iterum eligi, itemque eligi, & iterum reprobari, 2. part. fol. 39. Hunnius cõtrarium semper sensit & adhuc sentit, & vult tamen sociorum approbare dissentientem sententiam. Atque sic fit quoque vt semper idem & probent & improbent. Sic faciebant olim Acatiani omnium Arrianorum pessimi, qui Homousij vocem sub Iouiano Imp. & Symbolorum Nicænum iterum approbabant, Socr. 3. cap. 21: Monothelite suam quoque hæresin semper negabant, & semper affirmabant negando autem suis utebantur catachresibus, lib. 2. concil. fol. 16. & talis erat Petrus Cnaphæus, Euag. 3. cap. 16. & 17. Et ibidem Iohannes Episcopus Alexan. cap. 15. Talis erat Timotheus Episcopus constantinop. de quo Theod. lector collect. lib. 2. Hic procellosus spiritus in omnibus est Calvinistis, ut olim in Arrianis, nihil ergo nimirum, quod a iunt, & negant isti Hunniani de Dei proposito. Wirtenbergici Theologi vniuersalem electionem collocarant ipsi quoque aliquando, in voluntatem antecedentem, part. 2. fol. 30. iam eam penitus abnegat. Gerlachius vno anhelitu sua verba negat, quæ paulò antè affirmarat. part. 2. fol. 126. Has insuper procellas in confusis istis Theologis obseruabis hoc modo: Approbarant Vvirtenbergici & prædicarant in suo Catechismo

*Hæretici
semper ne-
gant & af-
firmant.*

chismo vniuersalem electionem : Approbârunt in thesauro Vogelij: Gerlachius publicæ assertioni præfedit, & in suo eam propagauit commentario. Hic & socij furiosissimè eam postea damnârunt Epistolis in Saxoniam missis: Cum me aspicerent oculis suis præsentem, iterum approbârunt: in scholijs, & actis rursus reprobârunt. Iam Gerlachius redit iterum approbans eam: Inter approbandum Hunnij se tamen futurum socium profitetur qui eandem reprobât & hostiliter persequitur? Vides has vpupas? Et vide etiam illorum fraudem, cum ingeminant aliquoties, *Seriò omnes vocari ad vitam.* Quomodo seriò? Cum propositum faciat seriam vocationem, & vocatio inter seriam, & non seriam ideò distinguatur, quòd illa sit cum proposito, hæc sine proposito iuuandi.

Quòd Deum hic fallaciæ insimulent, totumque Euangelium in ipsa radice conentur excindere, alibi fusè à me est explicatum: labore eadè repetendi, iam supersedeo. Sufficit, præterea hoc vnum, quòd scimus Deum esse veracem, & neminem deludi vocatione aliqua, quæ propositum non habeat. Spernunt enim Impij consilium & propositum Dei, Luc. 7. Et 2. Thimoth. 1. dicit Paulus. Quòd vocati simus vocatione sancta, iuxta propositum. Huius vocationis ibi se profitetur præconem, & talem qui nôrit, vnumquemque; vocandum esse secundum propositum Dei, vt omnem hominem exhibeat perfectum in CHRISTO IESU, Coloss. 1.

Addendum hoc saltem, non opus esse, vt duo fingamus decreta.

Duo decreta

Vnum enim duntaxat in nos iam antè perditos decretum exijt ex pectore Dei per vulnera vnigeniti filij sui, vt credamus in filium, & salutem exhibitam accipiamus. Huic autem decreto ordinario est annexa iuxta quam solam nos ad illum finem salutis adduci possumus. Sufficit istud decretum salutis: qui illi non parent, non damnantur vi alicuius decreti, singulariter in eos determinati, sed quia damnati iam antè erant in clade vniuersali omnium hominum. Fit liber, qui credit, qui non credit, manet vt prius erat, in seruitute penati & mortis, & manet condénatus, & manet super eum ira Dei. Condénatio ergo non præsupponit nouum aliquod & decreto saluandi coæternum, isti que oppositum decretum. In anno Iubilæo omnes serui libertate donabantur: quisque autem libertate illa vti & frui volebat, opus ei erat, vt à seruitio exiret: qui non exhibant, nullo obstringebantur decreto nouo & quod priori

E

esset contrarium, nimirum vi ad seruitutem obstringerentur. Ipsamet repudiata libertatis culpa retinebat eos in pristina seruitute. Sic etiam nos omnes Satanæ mancipati cum simus noxa illa vniuersali, qua perieramus, iam monstratur in Christo libertas in omnes extensa, aperte nobis Iubilæo in Regno Christi: iam ista est ordinatio vt per fidem in Christo fruamur libertate, & vi exeamus Regno Satanæ. Qui parent, beneficio fruuntur libertatis: qui non parent, manent hi in sua seruitute & nouo decreto quo condemnentur & seruituti obijciantur, non opus habent: Sufficit illis ad perditionem, quod non paruerunt ordinationi, atque sic etiam in nouissimo die iudicabuntur impij, cum à pijs fecernentur, quod viam ducentem in cœlum, & monstratam spreuerunt, aut deseruerunt, nunquam autem poterunt Deum accusare de aliquo perdendi eos decreto.

Hac similitudine vtcunq̄ue intelligi potest illam de duplici decreto fallaciam plenam esse periculi, & Euangelio oppositam, de qua iam satis est dictum. Maneamus itaque in hoc, quod decretum saluandi nos per Christum fide apprehendendum sit vniuersale: hæc vniuersalitas respuit simpliciter contrarium perdendi nos decretum.

Quapropter Gerlachius asserta electione vniuersali etiam hac in parte à suis diuulsus est coniurantis.

Baptismus.

Nonò, vniuersali electione restituit nobis Gerlachius rapinam, quã Hunnio confociatus, commisit, in Baptismo. Sine dubio iam confiteatur, absque omni exceptione, verè & propriè dici de nostris infantibus baptizatis, quod sint electi & destinati in Christo ad vitã. Id enim cum primis docet hæc electionis obsignatio sicuti etiam Brentius, ad quem Gerlachius redit, docet, sic argumentandum esse: Ego sum baptizatus, Ergo sum in Christo electus ad vitam. Quid enim hoc aliud vult, quod baptizati omnes induimus Christum? Gal. 3. Omnes baptizati conscripti sumus, cum Christo. Rom. 6. Colof. 2. Et filij facti, atque hæredes Dei, quippe regenerati. Ioan. 3. Ephes. 5. Tit. 3. Hunnius autem scripsit & docuit, non esse nostros infantes omnes licet baptizentur, imo licet regenerentur in filios Dei, ad vitam & salutem in Christo ordinatos & electos. De prouid. & prædest. in præfat. cap. 2. b. ibi fol. 549. 550. 702. 704. & in confutat. præfat. fol. 43. 46. Idem aliquoties repetijt in libro *Gründtliche vviderlegung*. Iam de lepra Calvinismi in fronte confessionis suæ admonitus suum Calvinianum oletum Catus hic iterum tegere,

*Brentius in
Catechismo
fol. 49.*

gere, non planè tamen, sed tantùm ne manifestè cernatur, conatus est. Polycarpus cõcedit electos esse, imo renatos etiam esse omnes nostros infantes in Baptismo, sed vocabulo electionis, & renascentiæ in latiori, id est, impropria significatione sumpto. Resp. ad examen fol. 40, Hic verus est ructus & vomitus Calviniani pectoris Theologi Wirtenbergici, inter quos Gerlachius etiam erat, valde attoniti stant ad istam quæstionem, num verè renasci possint, verè credere, verè Christo inferi, verè habere vitam æternam, qui ad ista beneficia nūquam sint à Deo electi & destinati, sed præteriti ab æterno & exclusi? Vide part. 1. act. fol. 200. Respondent ibi tepidè & suspensè inclinati tandem ad Calvinianorum *Probabiliter*. Polycarpus in suo responso ad examen ita se euoluit, vt dicat, nolle se respondere ad hanc quæstionem, an infantes accipere possint vitam, ad quam ab æterno uunquam sint electi, fol. 82. Quod tanta cum trepidatione & vacillatione hîc stant, nulla est alia ratio, quàm quod verè amplius non credunt, omnes infantes in Baptismo renasci in filios Dei. Id enim si crederent, nunquam negarent eò esse destinatos, & electos à Deo.

Vbi nunc illa alacritas confitendi, quam videmus in D. Luthero, & omnibus ijs, qui simpliciter verbo Dei credere. & insistere audent? Sic enim Lutherus in confessione sua, quam edidit anno 1529. inquit: Ad hanc vitam æternam sumus baptizati, ad hanc sumus redempti, & ad hanc accepimus Euangelium: Quamprimum infans baptizatus albo induitur indusio, eo ipso momento initiatur ad vitam æternam. Hæc Lutherus. Hæc nostra est confessio, sic nostra quoque sonant Agenda in Baptismo, vbi Deo commendamus infantem his verbis: *Das nunmehr dein Kind ist*. Nulla hic trepida confessio. Quo verò tandem prolapsuri sint Wirtenbergici, ex ista sententiæ alternatione satis declarant, cum iam incipiunt locos de Baptismo, & regeneratione omniū, Rom. 6. & Gal. 3. de torquere tantùm ad suos credentes, & suos electos. 2. part. act. fol. 131. Vtinam itaque Gerlachius à pestilenti hac irrisorum Cathedra verè auelleretur.

Decimo: hic quoq; socios calce ferit & deserit, cum affirmat electionis certitudinem probari & subsumi, semper posse sub voluntate vniuersali sub dilectione, sub proposito, merito Christi, & ipsa redemptione. Eo enim extendi affirmat vniuersalem electionem, adeò vt dilecti & redempti non sint, nisi prius in Christo fuerint electi & prædestinati ad

D. Lutherus

Certitudo electionis.

vitam. Hoc improbant socij & ipse quoque improbauit, priusquam se ex illorum subduceret castris. Hoc enim illi docent, electionem ad vitam, cum benefica & misericordi Dei voluntate, non extendi pari latitudine ad omnes homines: neque etiam cum dilectione: neque etiam cum redemptione: neque etiam cum voluntate vniuersali: neque etiam cum vocatione. Hunn. de explic. controuersia, inter & c. B. 1. a. D. 1. a. E. 2. a. de prouid. & prædest. fol. 435. 478. 570. Confutat. præfat. fol. 73. Rung. disp. thes. 134. 135. Theol. fac. Wittenberg. fol. 20. 57. Wirtenbergici part. 1. fol. 38. 304. Iam ergo hic quoque Gerlachius socios deferit, cum electionis certitudinem, in istis fundamentis. vnicuique aperit, & lucem restituit, naturam in Deo agnoscendi salutem. Mirum, si conscientia eius sanguinem non sudet, cum istæ in sua damnaret damnata Apostasia.

Undecimò: iam porro attendamus, quomodo ex istis fundamentis socios confutet, euertat, fulminet & disperdat. Quasunque enim illi contra vniuersalem electionem scripturas allegarunt, eas iam ipse ex vnguibus eorum eripit, ostendens eo ipso palam quod blasphemè ijs hæctenus abusi, & veritati vim inferre conati sint. Scripserunt enim hæctenus vniuersalẽ electionem, *prorsus* carere scripturæ testimonio: & vniuersalem è scriptura euerti: & cum scriptura confirmari non posse. Hunn. explic. controuersia inter & c. A. 3. a. C. 4. b. De prouid. & prædest. fol. 633. Thesisibus Hub. oppositis thes. 126. Confutat. præfat. fol. 79. Theol. fac. Wittenberg. in confess. præfatione A. 3. a. V. Wirtenbergici part. 1. fol. 311.

Libro Concordia.

Duodecimò: Iam illud quoque explicat Gerlachius asserta vniuersali electione, quid patrârint socij in libro concordia diuexando. Hic enim perpetua audita fuerunt crepitacula, nullam nisi particularem ibi contineri electionem. Iam puluerem & globos suos bombardicos in hoc sociorũ suorum propugnaculũ iniecit iste asserta vniuersali electione. Nã sic valet hæc assertio, perinde diceret; vos socij, attẽdite quid dicã, probatũ est, vniuersalẽ esse electionẽ. Si iã negemus hæc approbatã esse in libro cõcordia, opponimus eum liberius directè cælesti & æternæ veritati. Si autẽ concedendũ est, ibi hæc approbari, falsum desinamus dicere testimonium contra Huberum, quod libro huic contradicat. Reclamant etiam nobis hæc fundamenta, quod in libro concordia asseritur voluntas Dei omnes homines saluandi, & Hunnius ipse confiteretur

etur hanc voluntatem cum electione coincidere: Deinde quòd ibi prohibetur, electionem definire ex præuisione fidei

Præterea, ô focij, diuellitur iam concordia nostra etiam hac in parte, quòd Hunnius negat particularem ex Deo demonstrari posse electionem. Nos verò Vvirtenbergici hanc ex Deo esse, ex libro concordiaæ demonstrare conamur. Quapropter vim facimus libro concordiaæ, & deludimus Ecclesiam, dum eò semper contrariis itineribus & mutuis inter nos pugnis confugimus & prouocamus

Non autem est noua hæc ars veritatem cludendi sub prætextu conciliorum & concordiarum, præsertim cùm aliquando illæ quæstiones, *Prætextus concordiarum.* de quibus certamen oritur non fuerint excitata. Sic Eutyches fecit, prouocans ad concilium Nicænum. Tomo 1. concil. fol. 409. 410. Similiter Nestorius 1. concil. fol. 315. Imperator Basiliscus à Timotheo Æluro instinctus, damnat concilium Chalcedonense, in quo Eutychnismus erat condemnatus, & approbat Nicænum, Constantinopolitanum & Ephesinum primum. Euag. 3. cap. 4. Nostri Hunniani, cùm toties prouocent ad librum concordiaæ, cur non vel semel etiam ad concordiam Saxonicaæ visitationis assurgunt, in qua de isto prædestinationis articulo ad reformandam Saxoniam ex professo actum est? Nòrunt boni illi focij disertis verbis propositionem hanc, quòd *Deus non omnes, sed paucos elegerit ad vitam*, pro impia, Calviniana, & blasphema, reiecta & condemnata & vicissim approbatam esse doctrinam & synceris Theologis adscriptam, quoad consilium Dei, *uniuersalem omnium hominum electionem*. Hùc nemo aduersariorum prouocat, conculcato iam ab illis hoc symbolo Concordiaæ Saxonicaæ. Benè: Sed redit iam Gerlachius, & accusat socios perfidiaæ.

Decimo tertio: Confutat iam Gerlachius librum Actorum à se & collegis editum. Asserta enim uniuersali electione, probat & demonstrat falsam ab ipsis defensam fuisse doctrinam & autores fuisse offendiculorum, & tumultuum: decepisse Principes, & magistratus: Vanas esse omnes criminationes aduersus Huberum disseminatas: falsum deniq;, quod scribunt librum illum optima fide esse scriptum. Hæc omnia iam nobis porrigit Gerlachius: & quod maximū est? ipsemet iam repetita sua confessione confutat præfationem libro illi sub nomine Principis præfixam, & demonstrat rem aliter se habere quàm ibi ex instinctu Theologorum scriptum sit; atque ita porro quæ de Hubero in ea dicū-

tur in Gerlachium & socios suos, autores illius præfationis competere.

*Huberum
non disces-
siffe à con-
fessione.*

Decimo quarto: Iam confutat Gerlachius pudendam illam vanitatem, qua ausi fuerunt proclamare Huberū ac si discessisset à confessione vniuersalis electionis. Improbi Theologi prætendunt librum, quē donauit Tubingenſibus in pignus confessionis. At liber erat ille totus de vniuersali electione. Ea quæ manu mea in illum scripta sunt, pessima fide allegant detruncatis illis quibus vanitas ipsorum argui poterat. vide part. 1. fol. 189. & in Epistola ad Principem, Ibidem fol. 261.

*Conuitia
ferenda.*

Decimo quinto: Nouit Gerlachius, quas sannas, & quanta conuitia pertulerim propter hanc, quam mecum iterum communem habet confessionem, & quæ ipsemet vnà cum aliis aduersus me iaculatus sit. Sorbeat iam illa omnia in viscera sua & ima viscera, vt cum me accusarunt, quod in asserenda vniuersali electione Epicuratos furores disseminarim. Hun. thes. Hub. oppositis, thes. 148. Et ibi 32. Phrasin hanc esse tyrannidem. Et in præfatione sub nomine Principis, nouum esse errorem. Polycarpus inquit, impiam esse doctrinam fol. 13. Et quid iam respondebit Gerlachius, quod mecum ipse quoque sub electione comprehendat filios Sathanæ, Heliogabolos, Iudam, Turcas, & gentes Barbaras? Videat Hunnium hisce de rebus fulminantem in confutat. præfat. fol. 95. 97. 107. 111. 114. Accedit iam Polycarpus, qui me hæreticum propter hanc confessionem appellat, in præfat. libri sui, Et ibi fol. 23. imò ipsemet Gerlachius hæc ob causam me hæreseos adstrinxit & proclamauit, part. act. 2. fol. 15. Quid Gerlachi, an non tu iam porro aggregaberis huic hæreticorum collegio? Iuxta illud: Serue nequam ex ore tuo iudicaberis. Certè iam es hæreticus, tuo proprio iudicio.

*Non defi-
ciendum.*

Denique. hoc etiam intelligi potest, si bombis Theologorum istorū absterri à veritate potuissem, accessurus iam esset ad eam Gerlachius, in cuius gratiam Diabolus volebat, ne Apostasian molirer. Quæ iam inferior esset creatura quàm Huberus, si pedē dedisset in commotionem; Cum ipsimet Apostasie autores ad antiquam redeant confessionem. Quodnam Cænum adeò profundum unquam fuit, in quo Huberus non fuisset defodiendus & demergendus? Sumite autem vos piacorda, à quibus isthæc leguntur. Exemplum, vt in nullius hominis gratiam à veritate recedatis; videtis enim vanitates vanitatum, etiam in Theologorum fastigio & videtis rerum exitus. Maneamus in tentorio nostri

nostri saluatoris, praesidio satis valido circumuallati quantumuis Diaboli crabrones & fauces circumstrepant. Nulla fit Apostasia, quae pone secum non trahat iratum Deum, iratos Angelos, iratas omnes creaturas conscientiam iratam, amicos iratos, & demum ruinam in medio hostium & amicorum. Neque grauius ludibriū excogitare potest Diabolus, quàm illud, quo acurissimè torquebit & exercebit Apostatas ipsemet Apostata, & Gnarus quātam scelus hoc mereatur condemnationem. Ora indefinenter pro nobis tu aeternae filii Dei & mediator noster apud Patrem, ne Satanus nos crebret & ne deficiat fides nostra. Hac haecenus de Gerlachij aduersus socios suos noua & reiterata confessione.

CAPVT SEPTIMUM.

In quibus se occultat Gerlachius.

SI Gerlachius nihil istis, quae recensuimus, miniscuisset fraudis, & suspectissimae improbitatis, poterat pro fratre iterum, quoad istum articulum de electione, ab Ecclesia nostra agnosci & recipi, sed imitatus Arrium, Nestorium, aliosq; nobiles Haereticos, adeo malitiose veritati iterum subscribit, ut reditu suo majus quam antea in Ecclesia excitaturus sit incendium, ut primum fores Ecclesiae nostrae sibi apertas videbit. Vetus hoc est artificium Satanæ in perdenda Ecclesia, & omnium periculosissimum, cum duces errorum videntur redire ad fidei veritatem & amplexum, interea autem Speluncis suis abditi nouam & priori perniciosiorem moliuntur stragem.

Spelunca.

Prima Gerlachij Spelunca.

De Catachresi.

Hic illa infanda occultatur fraus, qua Haeretici & seductores omnia dicere, & nihil dicere, omnia approbare, & nihil approbare, approbando omnia negare, negando omnia approbare, & omnia in contrarium sensum retorquere & sic fraudulentissimè Ecclesiam decipere solent. Ad hanc confugiunt, cum Veritatis potentia victi & pudefacti, ea concedunt, quae ab Ecclesia probari & à se expugnari non posse vident, admissis iterum Ecclesiae phrasibus, alio autem sensu, nimirum abu-

abufiuo feu negatio & contrario. Hic Ecclesia aduerfus Gerlachium monenda & nuncienda est: Præfertim cum Socij ipfius à quem focietate nondum vult publica renuntiatione recedere, iam omnia propè impleant folia, tali falua, electionis vniuerfalis phrafin non vſq; adeò à fe repelli, & improbari, ſi modò addatur aut concedatur improprie eam feu per catachrefin vſurpari. Hac ſimulata placiditatis ſpecie, & fuco, ſtertentes in tãto Eccleſiæ periculo multos irrefiunt excubitores, perinde ac ſi non de rebus, ſed de phraſi duntaxat, certamen eſſet. Atq; ſic primò opionem ſtudij pacis ſibi arrogant, Deinde ſub iſta Catachreſi omnem Apoſtaſiæ ſuæ molem ingerunt.

Arriani.

In omnibus certaminibus idipſum olim quoq; cõtigit. Sic enim redibãt Arriani, cõcedentes id, quod horribili orbis terrarum concuſſione peruiaciffimè ſemper execrati erant. Cum enim pernegãſſent Chriſtũ verũ eſſe Deum, itẽq; verè eſſe Deum id poſtea concedebãt pacis (vt prætẽdebant) ſtudio & amore, dũ modò illæ propoſitiones abuſiuè aut per Metonymiam intelligerentur. Soc. 1. cap. 3. Theod. 2. cap. 8. 1. Concil. fol. 201. 331. Hilarius Tom. 1. fol. 275. Similiter vocabulum Homouſion è proprio ſuo elidebant ſignificatur, & illud, quod ſcriptum erat in Nicæno concilio, Chriſtum Deum eſſe verum ex Deo vero, & quod imago ſit patris, à literali & proprio ſignificato remouebant: hoc factò, ſubſcripſerunt poſtea concilio Nicæno per omnia. Theod. 1. cap. 8. & lib. 4. cap. 8. Soc. 1. cap. 10. 1. concil. fol. 148. 155 & ita factum, vt Arrianorum ducet truculentiffimi & iurati hoſtes veræ diuinitatis Chriſti Vrfatius & valens, ſubſcriberent 1. concil. 204. Ipi etiam Acatiani ſubſcribebant, quantumuis in hæreſi illa ita eſſent progreſſi, vt cæteros furoribus omnes longè ſuperarent: idq; in hunc tantũ finem, vt ſe Imp. Iouiano approbarèt, factò ſibi hæc via reditu ad Eccleſiam Chriſti, Soc. 3. cap. 21.

Neforiani.

Hoc faciebant quoq; Neſtoriani poſt diuturnos conflictus, tandem confeſſi, Mariam eſſe genitricem Dei, ſed accepto vocabulo ſecundũ homonymiam & abuſiuè. 1. concil. fol. 574.

Eutychni.

In concilio Conſtantinopolitano ſub Iuſtiniano, Eutychni ſimiliter luſerunt vocabulis de Chriſto Deo vero, & verè nato ex Maria: conceſſis vocabulis, re autem negata. 2. concil. fol. 47.

Manichæi.

Atq; vt ſciamus nihil vſitatus eſſe hac fraude in Schola Satanæ, Manichæi Chriſtum eſſe verum hominem permittebant, contra omnem doctri-

doctrinam & principia sua, dummodò vocabulum sumeretur abusiue, homine intellecto pro hominis phantasmate, Sicut constat ex Epistolis Leonis, 22. 39. 41. 81. Nec dubito eundem tunc flauisse Spiritum, qui nunc in Polycarpo Leysero flat, qui concedere vult, Christum quidem esse hominem, sed nõ assumpsisse naturam generis humani, vtpote qui assumpserit tãtũ aliquid, quod nostri naturæ simile sit. Verè hoc Marcioniticum, Valentinianum, & Manichæum, humanitatem Christi æquiocè intelligere, pro phantasmate. *Polycarpus negat humanitatem Veram.*

In hunc ipsum modum nostri particularij iam quoq; valde sunt liberales in cõcedenda assertione hac, quòd Deus in Christo omnes homines elegerit ad vitam, obliti, quantis machinis & furijs nostram in neganda assertione hac afflixerint & concusserint Ecclesiam: Atq; insuper obliti quoq;, quanto nisu conati fuerint nostrum veræ & indubitatæ regenerationis signaculum sacrosanctum Baptismum ex participationis suæ principio euacuare. Iam accedunt, vniuersalitatem approbant & doctrinam approbant fidemq; nostram, omnes infantes baptizatos, electos esse in Christo ad vitã. Nota, sed ita tamẽ, vt vocabula hæc electionis vt vniuersalitatis in latiori accipiantur significatione. Latiorẽ significationem appellat impropriã & literali contrariè oppositã. Vide horum interpretem Polycarpum, in resp. ad examen, fol. 38. 80. Hun. de prou. & prædest. a. 8. b. Idẽ Vvittenbergici Theologi, par. 2. fol. 118. Hac ipsa Catachresi iã eludũt omnia Lutheri & Brentij testimonia de vniuersalitate, & aliorũ quoq; vt Abbatis Lorchenfis, par. 2. fol. 127. Expeditissimam itaq; iam habent viam, vt sese euoluant ex omnibus, quæ hætenus scripserunt & approbãrunt, & inuentum valde accommodum, vt omnia eneruent & in contrarium trahant sensum, quæcunq; ab alijs scripta & pronunciata sunt. Flatus hic est Schwenckfeldianus, qui totam scripturam improprietatis accusabat, & verè communis toti Calvinismo. Et hic per veteres atq; novos Calvinistas tam diu spirabit, donec pernegent propriè sumenda esse vocabula, fidem, gratiam, salutem, vitam, redemptionem, & deniq; Christum ipsum: Sicuti infra huius Spiritus documenta demonstrabuntur.

Ne verò Hunniana anguilla & Gerlachius cum primis nobis hic elabatur, & ad Catachresin hanc maledictam resiliant, sciendum est, absq; vlla Metonymia & Catachresi verè dici à Paulo, quod Deus elegerit nos ante iacta fundamenta seculi, vt essemus Sancti & irreprehen-

*Electio abs-
que cata-
chresi.*

sibiles. Istud enim Euangelium de electione ad vitam, & sanctitatem per Christum, non potest improprie accipi, nec etiam de paucis: & si de omnibus accipi debet, nulla hic est intromittenda improprietas. Quam verè enim Christus missus est toti mundo Saluator, destinata salute, in Salvatore illo, toti mundo, tam verè, tam proprie, tam solidè, tam indubitater, tam infallibiliter, tam incommutabiliter in eo & per eum, omnes homines sunt destinati, prædestinati, ordinati, electi & positi ad salutem. Quam verè vult Deus in filio suo vero, & ipsemet veritas, omnium salutem, nec permissivè tantum, sed effectivè, quia in hunc finem misit filium suum, cui imposuit peccata totius mundi expianda, totumq; mundum redimendi à morte, ita etiam omnes elegit in hoc ipso Christo ad vitam. Hoc credimus, hoc cõfitemur, quotquot sumus Christiani. Qui propter nobis perinde est audito vel hanc blasphemiam, per Christum non omnes esse redemptos à morte, vel illam, non omnes in Christo esse electos ad vitam. Sunt enim conuertibilia. A fide animam Christiana tum electionis, tum redemptionis, Hunnius, & Socij horribili Apostasia ab ea defecerunt. Ne verò Apostasiæ nefas in omnium versetur oculis omni eam occultare conatur fraude.

*Cur proprie-
tatem ne-
gent.*

Non mirum itaq;, quod ferre non possunt à suis se latebris excuti, quoties confitemur hanc fidem nostram, in significatione verborum vera, propria & lucida, Et cum sese multis fraudibus incrustare possint, in cæteris suis blasphemijs, hic vident omnes aperiri & confutari fraudes, quandiu ista propositio floret & vivit atq; palmam obtinet, elegerit Deum ab æterno omnes homines in Christo, ad vitam æternam. Huc ergo suas conuasant iam vires, vt vel penitus eam displodant, & extirpent, vel assentatoria & fraudulenta concessione eam admittant, ita tamen vt contrarium sensu ei ingerant. Nunquam enim suum poterunt Apostasiæ facinus occultare, dum hanc coruscantem vident lucem in oculis Ecclesiæ, & sentiunt inde vera elici fulmina contra falsitates illas, de duplici dilectione, duplici voluntate, duplici decreto, duplici inscriptione in librum vitæ, duplici saluatione, duplici obsignatione salutis, & duplici fide: quas duplicitates & gemellationes gignunt ex Babylonica sua catachreseos impudentissima meretricula. Ideoq; tot armis & fraudibus opus habent contra istam vicem. Videt etiam, stante hac luce disijce suum, quem nunc denuo venantur consensum cum Ecclesia nostra. Vident etiam hoc, stante hac propositione, nunquam

Calui-

Caluinistas damnari à se posse, quin in sua propria trahant viscera eandem condemnationem: nec vsquam effugere possunt, quandiu liquida stat confessio de vniuersali electione: sicut etiam vicissim hac deserta totus exæstuat Calvinismus, & cadit in caput & pectus omnium etiam eorum, qui negatâ hac propositione Calvinismum horribiliter execrari videntur.

At verò clamitant multi, propositionem hanc causam esse schisma-
 tis in Ecclesia: Verum hoc est, & hoc ipsum est, quòd cupimus Eccle-
 siam à Cathedra malignantium $\sigma\chi\iota\sigma\mu\sigma$. Nullum enim est commer-
 cium Christo cum Belial, & nullum commercium luci cum tenebris. *Schisma fieri.*
 Et eam ipsam ob causam, quia in hac propositione tanta effulget lux, *2. Cor. 6.*
 vt rector tenebrarum hanc ferre non possit, eò magis accendenda &
 tuenda est. Maledictus qui fidit in homines, & maledicta hæc lingua,
 quæ splendorem veritatis in gratiam hominum, in gratiam vermicu-
 lorum istorum, in gratiam hostium, in gratiam Apostatarum, deserere,
 abnegare, occultare, eamq; prodere vult. Quid nobis cum ronchis
 Diaboli? Quid nobis cum Aduersariorum insatiabili odio aduersus
 Deum & vnctum ipsius? aut num cedere fas est, quia Diabolus verita-
 tem ferre non vult? num militamus Diabolo? Imo, an non militamus
 Deo contra Diabolum? Et quæ hæc pax in Ecclesia, dum oppressa &
 prodita, veritate tradimur tenebris, tradimur Diabolo, tradimur ho-
 stibus, traditur & proditur veritas, extirpatur fiducia in Deum, to-
 tumq; Euangelium. Atq; insuper tradita & prodita veritate, Aposto-
 siæ crimen effugere nunquam poterimus. Hic enim in filijs increduli-
 tatis operatur Diabolus extremam & magnam illam Apostasiam no-
 uissimè præcessuram gloriosum aduentum Iesu Christi.

Et quòd in gratiam hostium nullum vocabulum, & nullus etiam *Vocabula*
 veritatis apiculus remitti debeat, vetera nos commonefaciunt exem- *retinenda.*
 pla, & præsertim illud de certamine circa homouision, cuius retinendi
 causas commemorârunt illustrissimas, veritatis protectores, Hilarius
 Athanasius, Basilius M. & Gregorius Nazianzenus, & simul collectæ
 extant i. concil. fol. 148. 509. Huius vocabuli ariete & inuicta poten-
 tia hæresi Arrianæ & speluncis fraudû insimulata veritatis confessio-
 ne obuiandum erat. Sic quoque in certamine cum Nestorio vocabulū
 theodocos, contra distractionem personæ inuentum erat. Euag. i. cap.
 7. In certamine cum Eutyche, Dioscorus concedebat esse Christum *Ex*

duabus naturis, sed non *In* duabus. Concertatio erat feruens, nec poterat Ecclesia cedere à vocula illa *In*. i. concil. 419. 420. 477. Euag. 2. ca. 5. & 18. Erant itaque bases aliquæ cōstituendæ, quibus inniteretur Ecclesia ne fallaci, sinuosa, flexibili, cauernosa & alternante confessione sese Hæretici occultarent. Atque nisi fraudibus fuissent repleti, illas nunquam improbassent phrasēs, vt rectè Theodoretus, Dial. 2. fol. 100. Si (inquit) res confitemur, cur defugimus nomina? Itemq; si phrasin nostram improbant aduersarij, cur nos astringere volunt ad hanc suam, quòd Deus in Christo paucos elegerit homines ad vitam? cur hanc vrgent? cur hanc Canonizant? Hanc si non in theatrum adducerent, maneret sensus scripturæ & fidei nostræ semper constans, & inuariabilis omnes esse ad vitā electos, destinatos & ordinatos à Deo, quia Deus vult omnes saluos fieri & venire ad agnitionem veritatis, omnibus sibi reconciliatis in filio suo, & redemptis à morte. Hæc enim sunt argumenta infallibilia, neminem in electione esse præteritum & idcirco vnicuique fas esse, imò à Deo præceptum & iussum, vt de sese sui que electione subsumat, & verè statuatur ad se pertinere quoque iam antegressā electionem & per media ordinatam ex fonte hoc gratiæ in omnes homines. Vocabulum itaque vniuersalitatē opponitur hoc in loco Calvinianæ hæresi de particularitate. De vocabulo electionis quiritari non possunt, cum in scriptura id expressè habeatur, ipsa scripturæ litera approbatum, quod in veteribus certaminibus non erat, in vocabulis homouios, theotocos, & in duabus naturis. Si aduersarios vox vniuersalitatē tantopere exasperat & pungit, cur non damnant etiam, quoties caluinianis ipsimet superioribus armis opposuerunt, *Vniuersalem* meritum, *Vniuersalem* redemptionem, *Vniuersalem* dilectionem, *Vniuersalem* vocationem? ostendant hic quoque vocabulum vniuersalitatē illis Dei operibus attributum. Si verò ipsa fundamenta veritatis in istis operibus vniuersalitatē in se continent, & idcirco caluinianorum particularitati & fraudulentæ hanc vocem necessario opponendam esse vtrò vident, nōrint hic quoque eam ex eadem necessitate vsurpari, cum alia & compendiosiori via, blasphemia de particularitate electionis compesci & contundi, imo etiam status controuersiæ aliter declarari & media ad salutem vniuersalia aliter defendi non possit.

Lubricitas
lubricia

Et quam necessaria sit assertio de vniuersali electione inde quoque constat, cum adeò lubrici sint isti nostri Hunniani, vt nihil vsquam certitudo

ti statuere & enunciare possint. Expressè enim alibi scribunt, nunquam se dixisse, vniuersalem esse electionem, nunquam etiam quòd nulla sit. par. 2. fol. 72. Quam falsum & quanta crassitie falsum hoc sit quod nunquam dixerint vniuersalem, vide caput huius libri quartum, & noni vt etiam quid actum sit Ratisbonæ Vos Theologi (nec immeritò quæro) vbi vestras habetis frontes? Et quod dixeritis etiã aliquando, vniuersalem, idem ipsum testamini p. 2. fol. 171. Iterum quæro vbi vestras habeatis frontes? Si nunquam dixissent nullam esse Ecclesia in hoc discrimen nunquam adducta fuisset. Si verò asseuerârunt, cur non deuo asseuerant? cur adeò procaciter negant? Aut si reijciunt hoc, nullam esse, cur ergo vicissim non probant nullam non esse? Aut enim vniuersalis est electio, aut non est. Et si in Saxoniam iudicium suum miserunt hisce in volucris tectum in quo neutrum affirmârunt, vel esse, vel non esse, cur iudicio suo fefellerunt Ecclesiam, & vniuersam Saxoniam? vide præterea quomodo trepident in defendenda particulari Hunnij electione, 2. par. 171.

Quid verò stropharum hic non occultant, cum dicunt Deum velle *vt omnes sint electi*, item, velle vt omnes sint ex electis? Hun. de prouid. & prædest. in præfat. L. 3. b. & ibi fol. 631. Polycarpus fol. 20. & 22. Quis Spiritus docuit eos hoc tortuosum dicendi genus? vult ne Deus, vt sint electi? Auscultate quæso, itè vult ÷ Deus vt sint ex electis omnes? Ergo ipse non elegit, sed homines faciunt vt eligantur, & vult Deus, vt causam hi præbeant, propter quam eligi possit; hæccine nostra Theologia? Et si omnes eligi vult, vbi iam vis separationis in vocabulo eligere? Cur non potius dicunt pleno ore, vel hoc quod elegerit omnes, vel illud, quod non elegerit omnes? Non enim permittetur eis, vt hoc, subere natent in Ecclesia, & tumultuentur tanto cum strepitu, vt suam defendant caluinianam lepram. Nec quærimus quid nobis vel aliis concedere velint: non enim tanti facimus ipsorum vocem, vt prætoriam & pontificiam nobis esse debeat: verbum solum habemus, lucem pedum nostrorum, siue Wirtenbergici accedant & approbent illud, siue non: quamprimum autem hi recedunt, feriendi sunt gladio Dei. Tortuosis eiusmodi responsionibus delusa erat olim Ecclesia, etiam à Nestorio in responsione ad articulos Cyrilli, 1. concil. 445. Et talis Arrianorum fraus, 1. concil. 205. Nihil ibi erat ab Hæreticis illis manifestè vel assertū vel negatum. Quapropter Ecclesiæ necessitas omnino postulat, vt isti

Vult omnes esse electos.

Hæretici placidi.

vespertiones ad certum alligentur affirmatum si maximè nunquam aliquid affirmâssent. vt de confessione ipsorum constare possit. Nunc verò constat quidem & nimium constat, quod hæctenus affirmârint & quod vicissim oppugnârint. Iam si ad inficiationes prouoluantur, vrgēdi sunt, vt denuò pronuntient in quo constare velint vel affirmato vel negato? Caueat hic sibi Ecclesia à vestitis lana ouium, qualupi isti voracissimi iam incedunt, quasi placidi & studiosi pacis publicæ, & quasi neruum remittentes de statu controuersia. Ita enim olim factitârunt Arriani, iubentes tolli quæstiones, & superfluitates inquisitionum, & studere publicæ paci, i. concil. 159. Et Arrius ipse sese offert, quòd nolit argutias sectari, sed simplicitati credere & pacem colere. Soz. 2. cap. 26. Et in Ariminensi concilio improbant Arriani argutias, volunt vt doceatur, Christum Patri similem esse iuxta scripturas, Soz. 4. cap. 16. 17. Eudoxius Hæreticorum istorum versutissimus, persuadet Vlphilæ Gothorum Episcopo, vt Arrianismum suscipiat, hac vsus fraude, cõtentionem exortam esse dictitans ex ambitione, re autem vera in dogmatis nullam esse differentiam, Theod. 4. cap. 37. Sic extenuabant isti caput controuersia, interea autem planè vt nostri ex veteri & noua familia Calvinista, omnes hos horribiliter persequebâtur qui ipsorum vouerunt accedere sententia.

Phrases damnare.

Non modò autem venenum suum hac placiditate facilimè introducunt, præsertim in Ecclesiam certaminum pertasam, sed etiam Magistratibus, & vniuersæ plebi persuadent, meram esse de vocabulis potius, quàm de re controuersiam. Atque ita olim persuasus erat Constantinus M. qui Athanasio imperabat, vt omnes ad communionē admitteret. Quod cum Athanasius, Hilarius, & quidam alij facere nollent, vt pacis publicæ turbatores multabantur exilio. Extat memorabilis historia de Modesto præfecto Valentis, qui Basiliū M. hortabatur, vt propter tenuē expositionē dogmatis non sineret Ecclesiam in tantā præcipitari discrimen Soz. 2. cap. 21. Hinc illa decreta Constantij, vt Arrij phrases damnentur, damnato quoque heterusio, ita tamen vt simul quoque damnetur homousion Theodor. 2. cap. 27. 31. Hæc politicorum sunt consilia de ineunda pace, cum errorum duces vident redire ad Ecclesie vocem & summum hic periculum, si res eò veniat.

Mulsum hoc Sathanæ Ecclesiam sæpe afflixit & perdidit. Inde enim oritur, vt sopita controuersia aduersarij fraude, & tandem vi regnum Sata-

Satanæ & tenebrarum in Ecclesiam iterum euoluant. Sicuti nemini amplius etiam obscurum esse potest, quid veteres & noui machinētur Calvinistæ, vbi suum de particularitate electionis obtinere poterunt principium. Quapropter hic constringendus & captiuandus est Gerlachius, ne admisâ vniuersalitate, hanc fraude catachreseos iterum postea eludat, & euertat: & omnino metuendum, ne vt Arrius olim & Nestorius, norumque complices, ita ipse quoq; in ista lateat spelunca, quantumuis illa vniuersalis electionis monstrauit fundamenta, quæ ex diametro obluantur Catachresi. Nihil fidendū est fallaci huic turbæ.

CAPVT OCTAVVM.

Secunda Spelunca Gerlachij.

De Voluntate antecedente & consequente,

IN Apologia mea indicaui, quam obrem hanc voluntatis diuinæ duplicitatem respuam, nolo illa argumenta repetere. Fabricat autē hic sine dubio versipellis iste Gerlachius speluncam ad latrocinandum in Ecclesia: quanquam hoc præfulgidum sit quod electionem in voluntate fundauit antecedente. Exuremus ergo hanc speluncam, priusquam versatilis ipsius spiritus hic induletur.

Ante omnia opus est vt Hunniana manifestetur in hac voluntatis duplicitate, malitia & improbitas. Ducet Hunnius, nullum esse decretum nos saluandi in hac Dei voluntate quàm antecedentem appellant, iuxta quam annunciatur Deus, quod omnium hominum velit salutem Ratio negati decreti in hac voluntate apud eum est quia decretum de-
finit, quod euentu suo, participatione nimirum & fruitione salutis in-
teruerti nunquam possit. Hun. in disp. Rung. thes. 16. 17. Et negat, Deū
constituisse omnes saluare. de prouid. & prædest. 410. Et sicut eligere,
ipsius opinione, ad paucos pertinet, ita decernere quod saluare velit,
pro eodem ponit disp. Rung. thes. 44. & de prouid. & prædest. fol. 342.
Excludit itaque Hunnius decretum saluandi à voluntate illa Dei, qua
prædicatur, quod omnium velit salutem Quapropter iam is fabricat
ibi illam à Calvinianis traditam volūtatem signi, voluntatemq; appel-
lat vacuam decreto vt etiam omnes Calvinistæ, quæ re ipsa nihil est ali-
ud, quàm Noluntas, aut, vt mollius dicam, simulata voluntas plena in-

Voluntas sine decreto.

terim illusionibus nostræ miseriæ. Pudendum verò mendacium, quod Hunniani eam appellant voluntatem seriam, cum ibi serio nihil agi possit: sed ipsi potius serio & virulentissimè illudant Ecclesiæ. Thomas Aquinas vocat eam voluntatem metaphoricè sumptâ. In sum. Theol. Par. I. quæst. 19. para. II. Vbi sic inquit: Ideo in Deo distinguitur *Propriè* voluntas, & *metaphoricè* dicta: Voluntas enim propriè dicta Vocatur voluntas *Beneplaciti*: Voluntas autem metaphoricè dicta, est voluntas *Signi*, eò quòd ipsum signum voluntatis, voluntas appellatur. Ex istis Thomæ verbis intelligitur, quòd voluntas metaphoricè dicta seu voluntas signi, propriè non sit voluntas, quia beneplacito, decreto & destinatione Dei careat: quanuis nomine voluntatis abusiue & insignificatione latiori usurpato, nuncupari ita possit. At si id, quod proprium voluntatis esse debet, hæc extruditur, voluntas extruso illo proprio, verius Noluntas quàm voluntas appellada erit. Voluntas enim in suo proprio habet volentis consilium, destinationem & propositum, ad finem illum, ad quem voluntas determinatur. Hæc ubi absunt, nulla est amplius voluntas, & vicissim mera Noluntas perfusa & venenata sibilis & sputis in miseriis nostras statuitur, quotiescunq; Deo attribuitur, quod nostram velit salutem. Hinc Deum omnes velle saluos fieri in schola Thomistica seu Antichristiana, perinde est, ac dicere, Deum nolle omnes saluos fieri, si de rei veritate dicatur; sin verò per lusum & Sarcasum, seu per metaphoram Deum hoc velle dicatur, seu per Catachresin, dici quidem, sed non sine cōtrario sensu intelligi posse affirmat. Hæc quoque causa est, quòd Theologi Tigurini in scripto contra D. Philippum Nicolai vnam duntaxat in Deo affirmant voluntatem, fol. 72. quia vniuersalem illam voluntatem Signi, verè & propriè pro voluntate nō agnoscunt, sed hanc tantum, quæ suum in homine ex decreto cuius euentus interuerti nō possit, consequitur effectum, adeò vt voluntas, & huius in homine effectus, salutis nimirum participatio conuertibiliter se semper habeant. Communia itaque isthæc sunt inter Calvinistas, & Sententiarios Scholasticos.

Hun. de Co- Hunnius pleno passu hos sequitur præambulones suos. Nā sic quoque distinguit voluntatem, quòd alia sit approbans, alia autem voluntas, cum decreto & proposito, Rung. disp. thes. 15. 16. 17. Nihil mutauit, præterquam terminos istos, vt pro voluntate signi, & metaphorica, approbatiuam appellaret: atque hanc opposuit voluntati, habenti propositum

positum & decretum, & approbantem illam, appellat voluntatem antecedentem, orbatam, vt ex oppositione constat, consilio, proposito, decreto, destinatione & ordinatione Dei ad finem salutis. Nec non *Lib. 3. contra tro. fol. 84.* discipulum habet in Westphalia quotidie libris nouis abortientem, qui e Caluinistis testimonia citat, qui hanc voluntatis distinctionem iisdem terminis Hunnianis tradiderint: quod ipsum quoque approbat is vehementer, scilicet, ne dubium sit, Caluinismum per Hunnianos discipulos longè lateque grassaturum & per eosdem conciliationem inter Caluinianos, & Hunnianos aliquando orituram. Iam obseruabis Hunniam istam Theologiam: Quòd si in voluntate illa approbante, seu voluntate Signi & vniuersali, nullum sit decretum & consiliũ Dei, destinans homines ad salutem, iam in voluntate consequente nulla poterit esse subsumptio de salute in Christo nobis destinata. Non enim subsum potest quicquam nisi in vniuersalitate id ipsum fuerit antegressum & omnibus porrectum ad sumendum. Atque sic excluditur homo ab omni voluntate Dei, saluandi nos. Quod de fide obijcitur, nulla hæc esse potest, vbi nihil præcessit, quod credendum erat. Neque fieri potest, vt fides faciat Dei voluntatem nos saluandi, sed voluntas saluandi antegressa, & per verbum patefacta, afferens secũ in hac patefactione Thesaurus vitæ in Christo, causa est fidei, & materia seu obiectum fidei, ex quo hæc nascitur & alitur. Quapropter omnia à secta hac metaphoricè & fictè dicuntur tumq; de voluntate Dei tum de fide, & manifestissima est fraus, quod voluntatem illam vniuersalem adhuc splendidis ornant titulis & seriam nuncupant, & fingunt, quasi nulla ibi sit inter illos, & Ecclesiam nostram dissensio. Tanta autem est dissensio, quanta inter voluntatem propriè & voluntatem metaphoricè dictam, seu potius quanta est inter voluntatem & Noluntatem. Hic enim dissidemus. Simulant verò hinc concordiam & socordem nostram lactant Ecclesiam splendida vniuersalis voluntatis mangonifatione, vt statum controuersia opprimant, & vt suo tempore suam, quam ex caluinismo conceperunt, in lucẽ edere possint foeturã absq; vllis ambagib. & inuolucris. Sic faciebant olim Acatianorum diuisa sub Arrianis secta, approbabat in concilio Seleuciensi homoeusionem p homouisionem, quasi in Christo concederet similitudinem substantia diuinæ, & æqualitatẽ cum Patre. Paulò post autem illud ὁμοιον detorserunt ad tradendum similitudinem voluntatis, & non substantia. Soc. lib. 2. cap. 32.

G

Addendum etiam hoc, quod Hunniani rectius facerent, si voluntatem suam cum decreto & ideò propriè dictam, nuncuparent voluntatem antecedentem, vt quæ antegressa, vi consiliorum Dei determinata sit cum effectu ad aliquos homines, atque hac sua proprietate efficiat vt reliqui omnes extra hanc voluntatem constituti, comprehendantur sub voluntate signi, vbi negant consilio & decreto Dei locum esse: quæ voluntas verius iam dici poterat, consequens, quàm antecedens, sicut ipsemet quoque Tossanus huic innixus fundamento hoc ipso malo istam inuertit antecedentis & consequentis distinctionem. Hæc de voluntate antecedente & consequente totius Calvinismi maledicta officina.

*Tof. de Pe-
lagi. thesi.
143.*

*Fidei locus
in Volunta-
te Dei.*

Videamus iam, quid de fide dicendum sit, & quis ei in voluntate Dei assignandus loci. Voluntas hæc est Dei, qua vult in Christum omnes credere & saluari. 1. Tim. 2. Hæc vnica & inuariabilis est, & habet suum decretum in hoc ipso decreto, cum filius missus est Saluator totius mundi. Et cum decreto hoc ipso adiunctam habet ordinationem, qua homo possit ad fidem peruenire. Hæc voluntas Dei semper manet, siue homines credant, siue non, siue obedientiam præstet ordinationi, siue non. Cum præstant obedientiam & obtemperant voluntati diuinæ assequuntur finem illum voluntatis, æternam salutem: Si non obediunt, ordinationi & voluntati repugnantes pereunt suæ incredulitatis, & pernicitatis culpa, Exempli gratia, cum Deus olim per Moysen erexisset serpentem æneum in deserto, voluntas eius erat, vt omnes, quotquot à serpentibus vulnati erant, ibi remedium haberent & sanarentur. Vniuersalis erat voluntas, & vniuersale decretum atq; æquale in omnes à serpentibus læsos. Quotquot ergo ad æneum serpentem accedebant, sanabantur non vi decreti alicuius noui, aut particularis, sed vi decreti antegressi & vniuersalis: quicumque verò non accedebant, non hi voluntatem Dei sua faciebant inobedientia inconstantem aut mutabilem, nec & decretum euertebant, sed ordinationi voluntatis diuinæ & decreto in ea comprehenso reluctabantur, & iussi accedere. non accedebant quocirca etiam morientes nullo decreto opus habebant vt morerentur: nam ita erat ipsorum morbus, vt necesse eis esset mori, spreto remedio recuperandæ sanitatis. Hoc exemplo intelligimus fraudem Calvinianam de voluntate duplici atque decreti differentia, & simul, etiã quæ sit fidei ordinatio in voluntate & decreto Dei vniuersali. In volunta-

*Decreti ra-
tio.*

luntate enim illa Dei immutabili semper requiritur fides ad parendum gratiæ nobis ordinatæ. Cum ergo fides actu in homine existit, illa ipsa est, quæ in ordinatione, vt existeret, ordinata & decreta erat. Quapropter hæc fides non aliam facit voluntatem aut decretum aliud, sed voluntati ad saluandum nos vniuersali & ordinatæ sese submittit & sumit quod orditum datum, & decretum est, & quod ideo datum & ordinatum est vt sumeretur: Atq; sic potitur effectu voluntatis. Differunt itaq; inter se voluntas, & effectus, nunquam autem voluntas in sese differt, aut dissidet. Neque unquam duplex dici potest esse decretum Dei quod idem velit. & idem nolit, sicut Gerlachius totus Calvinizans hoc in loco, duplicitem infert decreti thes. 5. & seqq. Stupenda est omnino ista noua in Theologis istis cæcitas, qua fingunt peculiare & singulare decretum ex Deo, saluandi credentes in voluntate quadam consequente. Dicite vos stipites & spermologi: an ergo in voluntate vniuersali nullum erat decretum saluandi credentes? aut num erant decreta in Deo duo inter se contraria, omnes saluare, & credentes saluare? Nisi talpæ essent videre tandem poterant, nullam esse decretorum duplicitem sed respectuum duntaxat in causa & effectu fieri diuersitatem, qui tamen nullam præbent causam, vt duo necesse sit fieri decreta. Nam vniuersalitas illa omnes saluandi, opponitur particularitati in Deo, vt certò sciamus, nullam ibi esse particularitatem, & neminè ibi esse exclusum & præteritum, sed omnes esse comprehensos, sub vno eodemq; decreto per Christum nos saluandi. Illa verò de credentibus particularitas, suum habet respectum ad ordinationis istius & decreti effectum & euentum, vt intelligatur, hos compotes & participes fieri ordinatæ, & decretæ ipsis, in Christo salutis, qui ordinationi diuinæ obtemperantes, salutem illam in Christo fide amplectuntur. Verum ergo est vtrumq; quod Deus velit omnes saluos fieri, & quod credentes soli salui fiant, Verum insuper & hoc, quod non sint duo decreta, sed vnum decretum, quod consideratur aliquando respectu decernentis, aliquando verò respectu obedientiæ, ad illud decretum, Et vna est semper voluntas Dei, nunquam mutabilis propter hominum inobedientiam, sed quæ in sua perstans constantia, & robore, ostendit veram causam, quod reprobi verè suæ incredulitatis culpa pereant & condēnentur. Corruunt itaq; graculi illius Tubingensis (Gerlachij inquam) Theses nō pauce, quas scripsit de volūtatis & decreti duplicitate. Hoc

*Electio sub
suo genere.*

aperiendum erat maturè, priusquam araneus aut gurgulio iste suo se inuoluat reticulo & exeso decreto in voluntate vniuersali, nobis fures faciat in voluntate quadam consequente.

Atque hic etiam subuertuntur Hunnianæ electionis parietes, cum fidem is facit in voluntate consequente causam electionis, & dicit, subsumi postea electionem sub voluntate vniuersali. Quænam ista strophæ? quæ vertigo, & insania? Num electio subsumi debet sub alieno aliquo & non proprio suo genere? non enim potest hæc alicuius generis esse species, nisi in genere ipso contineatur. Si itaque electioni particulari (quam solam agnoscit) genus aliquod assignandum est, aliud esse non potest, quam electio vniuersalis atq; sic, vt quicquid species habet, totum sit comprehensum in suo genere, aut nusquam subsumi poterit. Quocirca sub voluntate vniuersali electio specialis subsumi non potest, nisi verè, & propriè, atq; *συνονύμως* vtamur voluntate vniuersali. Hoc verò Hunnius concedere nō vult, & eo ipso nihil demonstrare potest, suæ quo electionem suam (tantum enim habet particularem) subsumere possit, & imperitia insuper est malitiosissima, quod hæc subsumere vult sub voluntate, quæ nullum habeat decretum & consilium saluandi nos. Rabiosior adhuc videtur Gerlachius, qui vniuersalem concedit electionem & dicit tamen, elegi nos in fide thes. 72. Abutitur enim ibi loco Pauli, dum clam infundit virus illud Hunnij, quasi eligamur fide iam in homine præuisa: Quod cum vniuersali electione nequaquam, sicuti etiam nec cum seipso consistere potest, quia si electio facta est in fide actu credentium, aut eorum qui præuisi sunt, quasi iam crederent, non potest electio talis obiectum esse fidei. Non enim fides fidem, id est seipsam apprehendit. Faciunt itaq; ista Gerlachianæ strophæ omnia nobis suspecta, quæ de vniuersali electione amplifice aliàs iterum concessit: Et nisi spelunca hæc destruat, nouas (vt omnino metuendum est) prodendi veritatem comminiscetur artes. Volumus ergo vt clarè voluntatem Dei describat & vnã tantum agnoscat, & nusquam ab ea auellat, decretum & destinationem nos saluandi, nullamq; in decreto faciat duplicitatem. Volumus etiam vt palam Hunnio contradicat. Nisi hoc faciat, Sinonia & præditoria arte ad nos iterum accedit.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Tertia Spelunca Gerlachij.

De Particularitate.

Multa loquitur de particulari electione, & de duplici actu ex Deo, *Omnia sinuose & tortuose: illud bonū. & valde pretiosum, quod affirmat electionem particularem nullam esse opponendam vniuersali eo ipso enim vt Hercules claua sternit & damnat opinionem sociorum suorū. De vitanda hac oppositione idem ego quoque semper sensi, & vide verba mea à Wirtenbergicis allegata. par. 1. fol. 91. & part. 2. fol. 61. 62. Particularem itemque semper ita admisi, non quòd alia sit ex Deo, respectu ipsius actus in eligendo, aut quòd aliam habeat sui constitutionem, quàm vniuersalis in causis eam causantibus, sed quia à respectu effectus, qui credentibus tantum cõmunis est, id nomen obtinuit, cum alioqui si vocabuli vim rectè aspiciamus, & quatenus denotat actionē eligendi, non sit vlla particularis. Vnica enim est, propriè si loquamur, & sola vniuersalis illa, quæ sui complementum in se perfectè continet, nullam aliam iuxta se ferens. Si causas harumque actionem consideremus, sed non applicatur ab omnibus. Quòd autem particularis electio suam differentem habet notionem ex fide, non ad Dei discretam quandam & differentem eligendi actionem id referendum est. Nam credentes non aliam, quam vniuersalem sibi applicant, non credentes autem, eam ipsam respuunt, vel deserunt, quam alij amplectuntur. Perinde, vt inuitati ad Epulum regis alicuius, illi qui parent, fruuntur Epulo omnibus inuitatis instructo & destinato, qui non parent illud ipsum, & non aliud spernunt, quàm quod vtrisque destinatum, & paratum erat, & fit particularitas non respectu destinationis & Epuli, sed respectum paucitatis conuiuarum, qui destinato fruuntur Epulo. Atque hoc diligenter contra impostores istos obseruandum, & defendendum est, ne obiectum fidei dolo aliquo fiat dissimile, aut duorum & contrariorum generum. Vna enim semper est obiecti ratio, ad quod apprehendendum, fides à nobis requiritur: vna redemptio à morte: vna destinatio, & electio ad vitam: quotquot credunt, vnam eandemque apprehendunt, quotquot non credunt, vnum eandemque repellunt, sic Apostoli ad Iudæos dicebant Act. 13. Quoniam vobis Iudæis oportebat primum.*

Particularis electio.

loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis eum, & indignos vos iudicatis vita æterna, ecce conuertimur & gentes. Portamur itaque ad gentes idem ipse thesaurus, qui spretus erat à Iudæis, & vinea spreta à Iudæis, ea ipsa locabatur gentibus. Sicuti vnus sol in cælo, ita vna lux & vna vita, vnus Christus, vnus Dominus $\delta\alpha\upsilon\tau\delta\omicron\varsigma$ in omnes, Roma. 10. Hoc ideo tenendum, vt constet firmitas & certitudo in hoc, quod fidei nostræ obijcitur credendum. Nunquam enim animus trepidus anchoram habebit fidei, nisi certò sciat ex Deo vnum idemque gratiæ donum æqualiter sine omni particulatione restrictione, aut separatione in omnes distribui & effundi.

Quod de particulari electione exposui, id ipsum iisdem verbis & eodem sensu Wirtenbergicis Theologis declaravi, & repetij cum apud illos essem ex scriptis meis, sicut ipsimet retulerunt in librum suum, part. 2. fol. 98. 61. 109. 110. 111. 143. 146. Ibi legantur mea verba, vt infania eorum manifesta sit, qua me iam mordent, quasi electionem statuerim vniuersalem particulari iam à me declaratæ contradictoriè opponendam. part. 1. fol. 7. 21. & sic meus quoque de plaustro fulminat Gerlachius thesi 84. Scire autem debebat iste vertumnus, quod asserta vniuersali, & tradita eiusmodi particulari, quæ nullam ex Deo habeat discretam notionem, non contradictoriè, sed subalternè subsumatur, tunc demum contradictoria futura, si alia statuatur ex Deo. Hanc ita tradidi constanter & contra conscientiam suam aliud nisi affingunt.

Ridiculum autem quòd non Baccalaurei sed Doctores Theologiæ multoties scribunt, hæc verba mea (vnam tantum esse ex Deo electionem, & omnes esse à Deo æqualiter in Christo electos ad vitam, & nullam esse particularem respectu Dei, sed hominum, fieri culpa particularem, idq; ex respectu effectus, non autem causæ) sic esse intellecta ab ipsis, quasi scripsissem non hoc, sed contrarium & quasi non negatiuè sed assertiuè posuissem, Dei respectu particularem esse electionem. Ista supina, præpostera in sensata, stupida & vniuersa intelligentia non in Theologos sed in quadratos rusticos cadere debebat. Quid si nunc hoc quoq; dicerent, nihil à me unquam de electione scriptum esse? Quid tum fieret? Num verò nihil esset scriptum, si illos hoc diuulgare aduersus me, non pueret? Aut, quod si dicant, id quod scriptum à me sit non se intellexisse de electione, sed de cucurbita Ionæ? aut fatasse de ouis Grypum in montibus Hyperboteis? Num verò ideo ego non scripsi,
quod

quod scripsi? Num candidè num ingenuè & apertè non scripsi? Num aliquid celavi? Num fefelli? Num mussitanter aliquid scripsi? Num in vno aliquo tantùm paragrafo? Num rectè num obliquè, & non potius prolixè, vsus multa argumentatione idè ipsum scripsi, repetij, conclusi, vrsi & stabiliui? Quomodo ergo factum, vt non intelligeretis? aut quomodo Gerlachius præsidens his thesibus defendit non intellectas? Cur, si non intelligebat, quæ scripta erant, non substituebat in locum præsidis, crassum aliquem vnitorem vel futorem? cui æquè vt Gerlachio perfacilè fuisset asseuerare & defendere quæ non intellexisset, aut si tum intellexit, quis Diabolorum aboleuit ei iam intellectum, vt nunc amplius nihil intelligat? Aut si tunc intellexit. & adhuc intelligit, cur inficiatur? cur, inficiando infandis criminationibus se obnoxium facit? scribit cum suis socijs, quòd me non intellexerint in doctrina de vniuersali electione, & quòd illos fefellerim, par. 1. fol. 85. 93. par. 2. fol. 100. 102. 107. 186. 189. 197. Et eodem spiculo aliquoties me fodit in disputatione sua. Quid verò iam de te iudicandum putas, cùm iterum tu ipse asseris vniuersalem electionem? num dices, quòd te ipsum etiam non intelligas? aut dicemus ne nos, quòd te non intelligamus? Tu leuis homo quo vnquam in omnia secula probabis argumento, quòd vel te vel alios fefellerim, tu impurum & lacrum os, proba quod dicis, proba quod dicunt socij. Magnum hoc est crimen & capitale, quod mihi impingitis, & improbè agitis non mecum tantùm, sed cum tota etiam Ecclesia, & tu præsertim Gerlachi autor mendaciorum istorum quomodo probabis istud mihi intentatum horribile crimen? Sed desino & iusto hoc commendo iudici Deo. Et si maximè (vt contra conscientiam, asseritis.) non intellexissetis, num ego præstare teneor vestram ruditatem, & quod iudicio & communi etiam sensu carueritis? & num etiam hoc quòd tu Gerlachi mente extra corpus tuum & lymphaticus, vt opinor, defendisti theses, earundemque sensum & intelligentiam in tuo postea propagasti commentario? Repeto id quod dicitis, à me vos esse deceptos: num fas est, vt ego dicar decepisse nos, qui iam contrarium statuunt huic, quod in litera ipsa à quouis, vti sentio & sensi, intelligi potest, & quod ipsimet eodem sensu acceptu defenderunt & propagarunt. Quis dicet absque diabolico mendacio, quòd eos fefellerim? Imo si aliqua Sycophantia, improbitas, & deceptio monstranda est, recumbere hanc sciant non in meis, sed ipsorum visceribus, qui totum mundum,

dum, & præcipuè suum Magistratum naso irrident suspenso, & dicunt se deceptos esse, cum machinentur iam Apostasian in Ducatu Wirtenbergico, & ab illa fide deficiunt, quam legerunt, viderunt, approbârunt, quam ipsemet publicè professi sunt, & tradiderunt iuuentuti, & in qua à teneris vnguiculis instituti & enutriti fuerunt. Calviniana hæc & Zanchiana est ars, scriptis subscribere, scripta proponere & confessiones edere, sensu literæ scriptæ contrarias. Desino hic.

Pergo in rebus ipsis, & redeo ad Gerlachium. Ne ergo homo hic in fraudulenta aliqua particularitatis Spelunca induletur, hoc primò est reuelandum, quòd ex Deo educat particularem & singularem electionem notione specifica discretam ab vniuersali: Ideoque appellat eam respectu vniuersalis *aliam*, nota benè, *aliam*, id est non illam, quam contemptu repellunt à se increduli: & socij eius appellant *aliam ex parte Deo*, par. 2. act. fol. 7. 8. 9. 32. 33. 40. 41. 67. 90. 100. 101. 162. 170. Hic Gerlachius euocandus est, an *aliam* intelligat, quæ perimat vniuersalem, aut quæ illam abusiue ponat? Et quæ cõtradiçtorie opponatur vniuersali? Et quæ sub vniuersali ita non sit comprehensa vt sub eadem subsumi possit. Et num huius *alios* electionis alius sit finis, quam electionis vniuersalis? Num quoque alius ibi sit Christus: Num alia ibi fides, quam in vniuersali requiratur:

Hic pande os tuum Gerlachi, & dic quã, *aliam* nobis apportes, ostende cubum tuum, vt intelligamus, quid ludas, & quem deludas? Nõstinè hoc, quòd socij tui vniuersalem electionem penitus abnegent? Legistinè quæ & scriptis eorum recitavi supra, cap. 4.? Tunc *aliam* præter vniuersalem? Et illi nullam præter particularem? Concorsnè est hic Spiritus vester? Noui fraudes vestras, & memoriter teneo. Electionem vniuersalem tu quidem iam, dum fudas sanguinem sub torculari magni iudicij, iterum concedis, sed illa *alia, alia, alia* electione conspiras adhuc clam cum illis tuis in religione corrupenda confortibus, & speluncã tibi struis, vt quoties lubet expeditum receptum ad eos habeas, Hac enim tua *alia* efficies tandem, vt vniuersalis non nisi Catachriticè vsurpetur, & hanc omnes Hunniani, à quibus te iam auelli simulas, vno tecum amplexu fouebunt & tuebuntur. Et hac ratione euertere semper poteris cum hac tua *alia* Catechismum vestrum, totamq; doctrinam Evangelij, & tam diu vos circulatores cum vestra *alia alij* eritis, donec Ecclesiam Wirtenbergicam, nisi neruus vobis incidatur, in *aliam* trãsmutetis religionem.

Dic

Dic verò etiam mihi tu inuentor rerum aliarum, quomodo facerēt homines electionem particularem, vt Hunnius vult? vos verò vicissim ^{particulare} ^{facere.} velitis, quòd particularis in sua particularitate oriatur ex Deo? Num faciunt homines id ipsum quòd Deus facere debuit? Aut desijt ne factum Dei, vt homines postea id facerent? Si Hunnifas, interrogo, quomodo homines particularem faciant, quæ, iuxta Hunnium, vniuersalis ex Deo nunquam erat? Imò iuxta hunc, nulla vnquam erat nisi in ipso suo exortu nihil nisi particularitatem secum traxerit? Hunnius præterea egregio vos excipit mucrone, cum dicit (attendite vos Wirtenbergici) Caluinianum esse, particularem electionem Deo ascribere. Explicat. controu. inter & c. B. 2. b. & alibi inquit. *Omnia causa particularitatis vnice* *prouenit ab homine*, aduersus semetipsum consilium Dei contemnente. Ibidem fol. 523. *Particularitatem* quòd attinet, non Deus illius est causa, sed homines.

Dixi suprà, quomodo isti Hunniani se mutuò lancinent in describēda particulari, & iusuper in ponendo aliquo genere, sub quo subsumi possit. Illud primò iam obseruandum, quòd Hunnius per omnia fallat & decipiat, cum genus quærit, sub qua subsumat particularem, cum tamen extra eam, nullam usquam esse dicat, & acriter perneget in voluntate esse antecedente. Deinde Gerlachius noster asserta vniuersali electione nusquam tamen particularem subsumendam dicit sub illa vniuersali. Quis hic turbo? Quis hic vortex, quo raptatur? Vnde ei oculi a deò strabi & in occipitium retorti, vt particulari aliud genus quàm vniuersalem electionem designet? Sed veretur iste desultorius Spiritus socios suos, cum his enim confessus erat, sumi hanc sub voluntate Dei, part. 2. act. fol. 33. 40. 54. alibi, sub promissionibus vniuersalibus. Hunn. explc. contro. A. 4. b. & Wirtenbergici par. 1. fol. 96. 106. Alibi, sub vniuersali dilectione, part. 1. fol. 91. sed Strophæ, strophæ sunt, tum contra regulas etiam in scholis receptas, tum quæ seipsas quoque subuertunt, cum indefinenter occlament, voluntatem, promissiones, gratiam, meritum Christi, dilectionem, atque omnia illa gratiæ opera ex Deo, non facere electionem, sed principium tantum & partem esse electionis. Quomodo ergo integrum & perfectum subsumitur sub imperfecto, & sub eo, cui non inest? Quomodo electio tota sub eiusdem causa partiali subsumi poterit. Nōrunt enim quòd causarum complexum multarum & integrum ad educendum electionem habere velint. Quapropter

H

& in cōmuni sensu, & apud illos ipsos quoq; negatur causatū, nisi cause totales cōueniant. Non ergo electio, etiam iuxta illorum iudicium proprium sub vna tantum causarum subsumi poterit. At si iam ad causarum plenitudinem fidem quoque adnumerent, iam electionis causa est fides, & electio fidei causa esse non potest, quia fides antegressa iam est ipsam electionem. Hic ergo Gerlachius premendus erit fortiter, vt edicat nobis, an particularem subsumat sub vniuersali electione. Hic opus est nobis liquida confessio. Sic enim hoc, quod volumus asseuerat, iam integra manet electio vniuersalis, & non est Catachrestica. Si ibi subsumi non vult, opponit suam particularem vniuersali, & defluet sensim à sua confessione iterum ad suos Hunnianos Calvinistas, & faciet *aliam*, id est, talem, qua funditus perneget vniuersalem. Quapropter probè hic tundendus est, & dum sudat, quærendum, quid ipsi hic conueniat cum socijs? Vrgendus quoque, vt abstergat calumnias Hubero asperfas, quòd vniuersalem electionem opposuerit saluationi credentium. Nisi hoc faciat, Cacus est noster Gerlachius in hac Spelunca, & malus Cacus.

Vocabulum

Actus.

Similiter, mirabiles circulationes & gyros agit vocabulo actus, & me horribiliter incessit propter voculam illam, thes. 373. 374. Sicuti etiam idem factitârat, communi sociorum consilio, par. 2. fol. 9. 10. 76. 116. 135. 136. 144. Vbi aduersus me spiculum tale acuerunt quasi tradam applicationem gratiæ diuinæ actionem esse ex homine, originem trahens, velex viribus hominis, actionemque, in qua Deus nihil agat, & in qua D E V M excludam. Sed heus bona verba, vos Theologi, *Gemach*, *gemach*, adeone rapidum habetis volatum vos vultures, vt adeo præpetes insiliatis adunco hoc vestro rostro, vocabulo actus à me vsurpato, & adeo ne famelici, vt laceretis illud adeo miserè & adeo cadauerosè? Nihil ego vocabulo & distinctione actus ex Deo, & actus ex homine vnquam tradidi vel sensi aliud quàm vt discriminarem actum receptionis ab actu dationis. Non autem feci causas effectrices salutis plures, quàm vnâ, nec etiam reuulsi, in receptionis actu, Dei actionem, quæ in datione semper manet integra, & incorrupta, & causa est Thesauri simul & fidei, qua Thesaurus apprehenditur, adeo vt applicando illa Dei actio applicetur, qua Deus se nobis dat per verbum, & simul quoque dat Spiritum sanctum, qui corda per verbum excitat & viuificat, vt accipiatur, quod datur. Atque ita actio Dei semper

per

per adest, & nunquam excluditur, imo nulla applicationis est actio, nisi respectu gratiæ sit passiva, consistens in receptione eius, quod à Deo datur.

Terminus autem dicendi, quo usus sum est vulgaris & vsitatus nec ex sese causam præbuit ad exagitandum me, nisi prius pleni felle & amaritudine. Vas aliquod quæsiissent, in quod se exonerare possent. Distinguenda certè est acceptio, à datione: si actum nominare non volunt, dent distinctioni aliud nomen, ita tamen vt discretus sit dandi, & accipiendi respectus. Ego hoc respectus, actus appellavi, & vt puto, absque piaculo, distinctis respectibus, non operationum sed communicationis consideratione. Paulus appellat illum receptionis actum redemptionem *περιποίησιν* col. 1. indicaturus, aliud esse, cum dicimus per Christum esse nos redemptos, & aliud, in ipsa possessione frui nos redemptione illa. Agè appellemus etiam sic, vt dicamus actum primum quem dationis appellavi, actum esse liberationis, redemptionis, reconciliationis, iustificationis, à Christo, pro nobis, præstitum (hic enim omnia hæc concurrunt in vnum.) & actum secundum, quem receptionis appellavi, appellemus redemptionem liberationem, reconciliationem, & iustificationem applicationis cum videlicet ea nobis applicata, & à nobis, per fidem recepta sunt. Hic Aduersarijs librum facio, vt vel Pauli vel receptis terminis in schola vtantur, modò distinctio habeatur inter dationem, quæ ex Deo habet vniuersalitatem, & inter receptionem, quæ respectu mediolorum spretorum, habet particularitatem ex homine. Et lic quidem Apostolus Paulus respectus meriti Christi, iustificationem facit vniuersalem extensam etiam in impios, ex æquo & pariter. 2. Cor. 5. Et Rom. 4. qua de re alibi prolixius agetur. Alibi autem iustificationem non in omnes extendit, atque tunc appellat iustificationem fidei. Hæc enim est iustificatio *περιποίησιν*, & fidei appellatur.

Quamquam autem Paulus applicationem redemptionis à peccato, & iustificationem coram Deo applicatam per fidem, distinguat ab eo, quod Deus pro omnibus fecit: Non tamen in applicatione exterminat actionem Dei. Idem enim dicit, quod Deus sanguine suo nos redemit, & quod Deus operetur fidem nimirum applicationem beneficii illius.

Hæc ad excusationem vocabuli actus. Quomodo verò Gerlachius

duplicem faciat ex Deo actionem redimendi nos, & reconciliandi nos sibi ubi alia alij apposita esse debet, infra demonstrabitur. Satis iam, ut intelligatur, quæ sint sectæ huius versutiæ in astruenda particularitates. Ex hac spelunca excutiendus est Gerlachius ne novum Ecclesiæ struat malum.

CAPVT DECIMVM.

Quarta Spelunca Gerlachij.

De Fide.

*Non exclu-
sit fidem
simpliciter.*

Ego nunquam proscripsi fidem simpliciter ab electione, sed hoc dūtaxat respectu, quo ab aduersa parte adsciscebatur in consortium causarum electionis ut opinione eorum fides actu futura in homine, & sic præuisa à Deo pars sit electionis seu causa electionis. Quod verò nunquā simpliciter exclusi legantur verba mea in libro Wirtenb. parte. 2. Act. fol. 63, 64. Vbi disertè ponuntur verba mea, quòd electi sumus omnes per Christum fide apprehendendum, & id ipsum repetij in consensu Rostochiensis. Præterea extat formula confessionis meæ, tum Wittenbergæ, tum Ratisbonæ, exhibita, in qua hæc mea extant verba: non est autem illa siue voluntas siue inde orta electio, absoluta, idq; duabus de causis 1. quia in Christum, per & propter quem, eligimur, fundatur. 2. quia nemo potest electionis beneficio frui, nisi credat. Hæc mea sunt verba & ascripta à Wirtenbergicis, par. 1. fol. 277. Ibi electionem in voluntate effectiua, in qua ordinantur media ad salutem & fide apprehendenda, oriri demonstraui: quomodo ergo exclusissem fidem ab electione in hoc respectu? Imo ubicunq; gratiæ fit mentio, & in illa tota salutis ratio monstrantur ibi per se intelligitur fides, qua gratia recipienda & homini approprianda est. Hic velim legi verba mea, quæ hostes in sua historia retulerunt, par. 2. fol. 185. 186. 187. 188. 190. 191. 192. 193. 194. 197. 204. Vbi prolixè assertum est, fidem à me verè considerari in electione, & simpliciter nunquam à me esse eliminatam, sed considerari, non hoc respectu, quòd omnes credant, aut quod elegerit hos tantum qui credunt, & aut quod præuisa fides numerum causarum in electione impleat. Ibi verba mea quoque recitantur ex thesibus meis Tubingæ disputatis: protestatus sum quoque contra infandam hæc Theo-

Theologorum audaciam adeò inuerecundè falso isto testimonio gra-
fandi contra me in Ecclesia. Vide verba mea, par. 2. fol. 179. Nec non i-
psimet victi conscientia, silere non possunt, & fatentur fidem non esse
penitus à me proscriptam in fundamento de electione. Hun. in confu-
rat. præfat. fol. 30. & noster Gerlachius cum suis collegis par. 2. fol. 179.
185. 187. 199.

Istud si nōrunt, contra seipso testantur, cum scribunt Huberum <sup>Contra seip-
psos.</sup> non penitus tantum sed *Penitissimè* etiam eliminasse ex electione om-
nem fidei respectum? Hun. de prouid. & prædest. 635. 667. & in thes.
Hub. oppositis, thes. 39. Wirtenbergici Theologi par. 2. fol. 184. 195. &
repetijt Gerlachius thesibus. 89. 90. 91. Illud autem in alliso Apostata
ad lapidem angularem, omnem superat improbissimorum improbita-
tem, quòd ibi thes. 64. scribit, Huberum docere Deum simpliciter vel-
le omnes homines saluari sine respectu fidei.

Hæc est frons & impudentia omnium à Deo & veritate ipsius pro-
lapforum, Et hi iam clamitant, ab Hubero spergi doctrinam nouam, &
proscribi ab eo fidem in electione simpliciter imò penitissimè.

Hoc est diaboli artificium, vt isto mentiendi prumptu status contro-
uersiæ tenebris in voluatur, & ex oculis hominum remoueatur: neque <sup>Caluina
contra ortho-
doxos.</sup> est nouum, sed antiquum illud, quo Cyrillus contra Nestorium dimi-
cans diuexabatur, quasi scandala suscitaret, & nouum parturiret do-
gma, 2. Concil. fol. 52. Et quasi traderet, Christum corpus attulisse cœ-
lo, & non assumpsisse carnem ex Maria virgine: hac de re conqueritur
in Epistola ad Ioannem Antiochenum. Et quid non contra Athana-
sium aduersarij excogitauerint? Vide Soz. 2. cap. 24. Et lib. 6. cap. 5.

Accusabantur orthodoxi, quotquot obnitebantur Eutychi (præ-
sertim cum hic subscripsisset concilijs.) quòd contraria sentiant Con-
cilio Nicæno & Ephesino. 1. Concil. 437. Peculiariter autem hoc con-
tigit Flauiano Episcopo Constantinop. & Eusebio Dorylæensi. 1. Con-
cil. 432. 447. 448. 449. Damnatur tandem Flauianus pro Nestoriano
1. Concil. 468. Cuius innocentia in lucem redijt in Concilio Chalce-
donensi confitentibus factum, qui consenserant abdicationi & secutæ
postea trucidationi hominis sancti & innocentis. Euag. 2. cap. 19. Ir-
ritatus quoque erat aduersus Flauianum Theodosius Imp. 1. Concil.
fol. 468. Prolixum esset hic referre, quantis diuis Athanasius, Hilarius
& Eusebius Vercellensis ab Arrianis fuerint dilacerati, contorta ipso-

rum confessione per summam malitiam, in sensum contrarium, hoc nisi fiat, nulla cum mendacijs persecutio institui potest, sed gaudete inquit Christus, magna est merces vestra in coelis. Mat. 5. Non ergo mihi ægrè esse debet, si eadem spiret ex aduersarijs furiosa calumniandi & opprimendi me, rabies.

Feram in nomine Domini. Gratias ago Deo meo, quod Aduersarij hoc mentientes faciant. Interea autem facinus nõ ferent inultum Dei, nisi serio respiscant.

Suprà dixi fidem considerari in electione, non quatenus homo credit, aut prænoscit crediturus, vt sic causam præbeat ad eligendum. Id à me semper ita traditum esse, ipsimet omnes nõrunt. Iam ergo si subnectant hanc appendicem, quòd sentiam, omnes esse electos in Christo ad vitam, *sive credant, siue non credant*, per se quidem id verum est, si de euentu in respectu applicationis, accipiatur non autem accipiendum est de consilio Dei, vt suprà quoque indicatum est; Nihil enim aliud sentio, quàm ordinationi diuinæ non omnes parere. At, siue pareant siue non, electionis tamen actus suam in Christo antegressam adeptus est perfectionem, cui nihil accedere potest, si credatur, & nihil decedere, si non credatur. Et sicut rectè dicitur, Deum omnes homines, per Christum à morte redemisse siue credant, siue non; Ita etiam non minus rectè dici potest; Deum omnes homines per Christum elegisse, siue credant, siue non. Ideoque nequaquam putandum est, si homines non credant, ideo à Deo electos non fuisse.

Quapropter rectè etiam Wittenbergenses Theologi habent in sua confessione, Christum pro omnibus esse mortuum, *sive credant siue non*, fol. 68. & Wirtenbergici par. 2. fol. 74. *Christum redemisse omnes, siue credant, siue non credant*. Et fol. 46. generali decreto, & credentes & non credentes seruare voluit. Et Gerlachius in sua disp. de pass. Christi. thes. 46. suscepit (inquit.) Christus peccata morte crucis expianda, non aliquorum tantum, sed omnium hominum, qui vnquam vixerunt, iam uiuunt, victuri sunt, *sive fideles sint & saluentur, siue infideles & pereant*, nullo excepto. Esaia 53. 1. Tim. 2. 2. cor. 5. Hæc Gerlachius, Phrasi illa vsus in articulo redemptionis, & iustificationis Brentius idè vult in articulo electionis, cum docet non omnes credere, qui electi sunt: Vbi certè eadem est mens ipsius, quòd sint electi, in actu illo electionis æterno, factæ per Christum, siue ipsi credituri sint, & facturi officium obedientiæ siue

*Siue credāt,
siue non.*

riæ, siue non. Et D. Lutherus eo quoque modo inquit, Postil. Ecclesiast. Dominica I. Aduentus. Christus manet is qui est incōmutabiliter Rex vitæ, gratiæ & salutis, *siue credatur, siue non.* Hæc Lutherus, & rectè quidem. Nostra enim incredulitas fidem Dei non facit, irritam Rom. 3. Atque sic quidē fides consideratur in electione, & in omni gratiæ diuinæ opere, q̄ fide apprehendendum est, non quatenus existit, sed quatenus à nobis requiritur, & præcipitur, vt existat, & idcirco simpliciter nunquam excluditur, sed ordinationi includitur. Et eo modo regnum cœlorum conuiuium appellatur, in quo parando, Dominus conuiuij hoc quidem vult, vt hospites veniant, accumbant, edant & bibant, nunquā paraturus conuiuium, nisi hoc vellet, ipse verò accubitus ad mensam & dapium appositarum fruitio non facit dapium appositionem, earumue ordinationem seu præparationem. Regnum cœlorum. 1

Sicut etiam, si non accumbatur & non edatur, & bibatur tamen præparationi seu ordinationi conuiuij & substantiæ mensæ appositæ nihil derogatur. Non enim edendo fiunt, vel instruuntur aut perficiuntur dapes: sed dapes prius ordinatæ, & instructæ sunt: vt eademq; iisq; fruamur. Istud à Theologis (licet contra agnitam calcitent veritatem) agnoscere non dubito in rebus regni cœlorum & testimonio nobis est, quod hanc ipsimet vsurpârunt appendicem aliquoties in tuenda vniuersalitatis proprietate, & nôrunt ab aliis quoq; vsurpari, atque Gerlachius tpsemet, qui electionis fundamenta vera, & in vniuersalitate consistentia monstrauit, ita voluntatem vniuersalem (in qua electionem locum suum habere dicit) comparatam esse affirmat, non quod omnes credant, sed quod omnes credere deberent. Sic Hunnius de prouid. & prædest. in præfat. a. 4. a. & in communi cum socijs suis confess. fol. 68. 88. Sic quoque wirttembergici, par. 2. act. fol. 31. & fol. 29. dicunt, omnes esse saluandos per Christum fide apprehendendum. Sic Gerlachius tū cum illis, & sic repetiit, thes. 43. quod Deus in antecedente voluntate velit omnes credere, & saluari. Aliud autem est, velle vt credant seu ordinasse vt credant: & aliud credere, seu ordinationi patere. Licet itaq; negetur, euentum semper adesse, non tamen simul negatur ordinationem fuisse institutam ad illum euentum.

Existis intelligimus, primò, quod ipsimet fidem non excludant simpliciter à voluntate vniuersali, qua Deus vult omnium salutem. Secundò, Hoc respectu fidem requirit, quòd homines credere debeant. Tertio,

tiò, Non hoc respectu, quod credant: nam sic nulla esset vniuersalitas, & fatentur vltro, quod fidei consideratione, vniuersalitate nihil detraxerunt velint. Et hæc etiam est causa, quod Gerlachius rectè dicere possit, impios contra voluntatem Dei media salutis spernere, Thes. 23. Nisi enim ordinati essent ad credendū, media salutis ab ipsis sperni non poterant. Ea propter cum Gerlachius electioni sedem suam attribuat in voluntate antecedente seu vniuersali, in qua fides ita consideratur quod omnes credere deberent, & in qua Deus decretum fecit omnes per fidem in Christum saluandi, si maximè deinceps homines nō omnes credant, & non præstent, quod præstare debebant. Rectè etiam is nobiscū porro asserere poterit, electos esse omnes à Deo ad vitam in Christo, tametsi non omnes credent: credere autem debebant omnes. Nec interim tamen quisquam hunc Gerlachium eo abripere debet, quasi statuatur illud esse in consilio Dei, vt nulla ibi habeatur ad credendum ordinatio. Absit vt Gerlachius hoc velit, & ego liberaliter hoc ipsius causa caueo: vtinam & ipse viri boni officio fungeretur mei causa, in cauendo ne tanta & adeò improba obruar criminatione & falso testimonio de fide simpliciter exclusa ex electione. Non mirus enim eam excludo simpliciter ab electione, quàm ab ipsa redemptione, & ab ipsa voluntate Dei nos saluandi. Includo autem eo ipso respectu, quod aduersarij ipsi eam inclusam volunt redemptori, & voluntati diuinæ ad saluandū nos.

Consideratio fidei.

Sed quid facio? Nescio enim an mihi pro defensione fide sua gratias agat vir ille: exere itaque spelunca caput. Heus Gerlachi, hinc itamus & clamamus, loquere ipsemet, & responde ad hanc quæstionem, an considerationem fidei aliò, quàm declaratum est, modo, in electionem intro mittas? Responde dilucidè: Sepone vsuraria diplomata tua iam parumper, & responde. Non enim absque fraude id fit, quod semper clamitas respectum habendum esse fidei in electione? Responde, responde, num respectu hoc, quod credere debeant, debeant, debeant? aut num respectu illo, quod omnes credat, qui sunt à Deo per Christum electi & prædestinati? Hoc enim tuus Hunnius vult, qui prolixè negat electionem esse factam, quatenus omnes credere debebant, sed quatenus credunt. In confutat. præfat fol. 34.

Prius concedimus, & liberaliter concedimus. Si tu idem concedis, & mecum tamen consentire non vis, Ego tecum hac in parte consentire volo, & hanc me docuit confessionem Paulus Eph. 1. vbi dicit: In Christo

sto

sto nos electos, vt essemus sancti, *daß vvir es seyn solten, solten, solten.* Et i. Tim. i. Misericordiam suam consecutus, infidelis essem. Si posterius sentis, atque ita cum Hunnio sentis, tecum non consentio, & tuam in amphibologia illa accuso immanem & improbam sycophantiam. Qua propter hic te missum non facimus, sed tam diu trahimus, donec extractus spelunca in aprico conspicuus fias. Responde itaque hic nobis: nō sic te Sophocles in nebulis teget, vt delitescere possis illa assertione, quam posuisti, quod vniuersalis electio non sit sine respectu fidei. Audimus respectum, & audimus fidem, sed vtrum respectum fidei, nū hunc vel illum intelligas nondum edisseruisti. Si Theologus es, si filius lucis, si dignus, vt in illustri Academia Tubingensi, Doctor sis, & in Ecclesia Decanus sis, si dignus qui cum bonis ambules, hic te nobis siste, hic loquere, hic te tenebrarum commercio euolue, hic te malitiæ suspicione exolue, hic loquere, vel latinè vel germanicè, quid tandem sentias, de fidei respectu habendo in electione. Quid ego sentiam, manifestè declarauit tuum quoque est expedire nobis, vtro accipias respectu fidem in electione. Vos omnes Christiani, qui isthæc legitis, testes aduoco, quid petierim, & iudices admitto, quid occultet iste vir, si hic non eloquatur, aut si eloquatur, & respectum admittat fidei, quatenus omnes in electione ordinati sunt, quod credere debebant, quanta me obruere conatus sit molè & pondere falsi testimonij in Ecclesia, cum sciret eum respectum fidei à me constantissimè semper fuisse approbatum & assertum. Si aurem ille fidei respectum statuit in electione, quatenus omnes credunt, credunt, credunt, aut præuisi fuerunt credituri & perseveraturi, quis abyssum fraudis in homine isto, pugno comprehendere poterit, cum electionem dicit esse vniuersalem, & præterea Brentium aliosque Theologos suos conatur facere ad stipulatores, qui tamen electionem extenderunt super illos etiam, qui non credunt, credere autem debebant, quippe eò ordinati & verè ordinati, tametsi ordinationi non obtemperent, & seipso electionis beneficio exspolient, ac vitæ æternæ indignos iudicent, sua incredulitate. Non frustra hoc tantopere vrgeo, nec meæ personæ duntaxat causa, vt ab atroci liberetur infamia & suspicione, sed vt leunculi huius in spelunca latitantis insidiæ & latrocinia in Ecclesia, aperiantur.

Volo enim hoc, vt manifestè se à socijs separet sine ambagib. & inuolucris. Nam ita corruere debet cariosum illud fundamentum de fide

I

præ-

*Euocatur
Gerlachius.*

*Respectus in
credituros.*

*Eph. 4.
1. Cor. 1.
2. Cor. 1.*

Rom. 2.

Iac. 1.

Psalms. 116.

Mat. 10.

præuisa, cuius vnus respectu illi electionem definiunt: Sicut tibi illorū
verba monstrabo. Lege Hun. de prou. & prædest. fol. 385. in thes. Hub.
oppositis thes. 130. Wittebergici, Theologi (in quibus tu quoq; vnus
fuisti, Gerlachi) par. 2. fol. 181. Et quid multis? ita respectum fidei con-
siderant, vt dicant electionem tantū in credituros, & in ceteros nequa-
quam determinatam fuisse, qui nunquam erant credituri. Hun. confu-
tat. præfat. fol. 3. 28. 34. 35. 116. vbi disertè habere vult, fidem, cuius re-
spectum facit in electione, ab ipso credentium actu nunquam segregari
posse, hinc illi clamores non nisi in fide eligi nos, idem tu cum collegis
asserebas, par. 1. act. fol. 110. Et par. 2. fol. 7. 74. 75. 179. 186. 210. Hic er-
go responde nobis, an adhuc sis in illa complicum tuorum sententia:
animal amphibion in Ecclesia, & sinu nostro non feremus. Vnus est
Christus, & vna fides, Christus non est diuisus, nec duplex veritas, dic,
an Hunnio planè valedixeris, atque hic vnum est, quod abs te poscimus.
Deinde hoc etiam nobis ediffere, clarè ediffere, & perspicuè ediffere, an
respectum fidei admittas sicuti à me, quem persecutus es, conceditur &
admittitur? Nulla est pœnitentia, & nullus tuus reditus, nisi prius te ip-
sum explices, & respectum illū & solum illum statuas, quem tibi præ-
scripsi. Non curo tuos furores, & fremitus tuos, nec patiemur, vt hūc il-
lūc fluctibus tuis subsultes, nec liberum tibi erit semper apostatare cum
Apostantibus, & stare cum stantibus, aut congregabis cum Christo, aut
disgregabis, nec vulnus conscientix tuæ istis trepidationibus sanabis,
sed peius exulcerabis. Aggrauas enim tibi iram Dei in die iudicij. Odit
dominus duplici corde homines, & duplici animo. Credidi, inquit Da-
uid, ideo locutus sum, & nōsti illud Christi, qui abnegauerit me coram
hominibus, hunc abnegabo corā patre meo cœlesti, loquere ergo quid
sentias, & nullam abnegationis speciem oppressa mustitando veritatis
confessione, præ te feras. nec te talē facias, quem dubia confessio-
ne tua, autores noui Calvinismi in suas partes trahere
possint. Satis iam habes, quid tibi de fidei re-
spectu in electione confitendum &
enunciandum sit.

Caput

CAPVT VNDECIMVM.

Quinta Spelunca Gerlachij.

De perpetuis Antilogijs,

Cùm liquidū vobis Theologis in hac quæstione incumbat respon-
sum, an Christus omnes homines redemerit, & reconciliârit Patri
suo, quis genius monstravit vobis tumida, cauernosa, flatuosa, varia, si-
nuosa, amphibologica vocabula, quibus omnes nunc tandem oppletis
pagellas, quoties loquendum & confitendum est, de reconciliatione &
redemptione à morte & condemnatione? nusquam vobis liquido, aut
saltem perraro iam per os & calamum exire vult cathgorica hæc Euan-
gelij assertio, & veritas, quòd Christus redemerit, liberârit, reconciliârit
satisfactione & passione sua totum genus humanum, qui fit? qui fit vos
Theologi, quòd adeò curui & tremuli sitis hic? Nihil né inest in corde
vestro, amplius quod palam, & sine trepidatione, & sine occultatione e-
loqui possitis vel ausitis? Certè nobis sudores exprimitis, quoties hunc
vestrum tremorem & pallorem aspiciamus. Enumerabo novas vestras
phrases, quibus opus redemptionis subdolè, & nimis iam subdolè enū-
ciatis. Hæ sunt phrases vestræ, quòd Christus impetrauerit redemptio-
nem, reconciliationem, propiciationem, satisfactionem, quod pepere-
rit hanc, acquisiuerit hanc, parauerit hanc, *erwvorben, erlanget, zuvvegen*
gebracht, das Lösgelt für sie alle erwvorben. Noua hæc Theologia, loricata
ex varijs circulis ab istis circulatoribus, & scorpionum hami in caudis
hærent harum locustarum & insectorum, quibus omnium scripta, D.
Lutheri, Brentij, & aliorum rescindere, excindere, & ad suam particu-
laritatem attrahere conantur, omniaq; corrumpere, quæcunque scripta
sunt, omnes esse per Christum redemptos à peccato. Qui fit, quòd phra-
sis scripturæ vobis amplius non placeat? Gerlachius dicit, meritum
Christi omnibus esse partum, thes. 236. & cum suis collegis ita confes-
sus erat, Christus acquisiuit redemptionem & in *promptuario* est reposi-
ta, par. 2. fol. 118. Quid vult sibi, bone Deus, istud repositorium, quo
Deus fingitur redemptionem reposuisse? An non toti mundo eam do-
nauit

Phrases de
redemptione.

Apoc. 9.

Promptua-
rium Ger-
lachianum.

nauit, & voce Euangelij annunciauit? An non Christus triumphatis hostibus nostris, nos verè liberauit? Coquit in hac cauerna aliquid mali Diabolus veterator & insidiator calcanei Christi. Nō quòd illas phrasēs, si extra nostram controuersiam simpliciter & absque fraude proponantur, improbemus, imò ita rectè vsurpantur, quoties recuperatio salutis, perditioni opponitur, sicut Paulus etiam vsus est vocabulo, Inuenit, Heb. 9. At si iam respicimus omnes homines, & hic quæritur in nostra controuersia, num redemerit Christus factò & opere ipso omnes, vt constet, quid credendū sit, de destinatione nostri ad vitam, & de ipso redemptionis opere peractò, cur hic cochleæ istæ cornicula retrahunt? & cur verentur cum scriptura sub dio loqui, & pronunciare & prædicare id, quod nostram iam factam & peractam redemptionem manifestè indicat & declarat, utpote quæ non modò impetrata, parta, & acquisita est, sed qua nostri hostes etiam fusi & fugati sunt per Christum, & qua nos verè & propriè, & opere ipso redempti sumus? Et obserua in hac ipforum spelunca, quid murmurent: non facillè inuenies, quòd profiteantur porro, omnes esse à Deo, per Christum redemptos, benedictos, reconciliatos, expiatis, & in gratiâ receptos, si maximè ex veteri Christianorum schola (in quam cum pueri adhuc essent, itarunt) adhuc meminuerunt, quod audierint Christum redemisse, reconciliasse, benedixisse & liberasse omnes. Solent enim adhuc istas veteres Catechismi sui Christiani, lectiones recitare. Iam verò sensim terga dantes nostræ fidei nondum quidem hanc manifestè eiurant. Ita tamen recedunt, vt licet actiuum concedant, Christum redemisse omnes, passiuum tamen redemptos, reconciliatos, &c. esse omnes, aut blasphemice concedant, aut etiam manifestè pernegent. Sic enim Gerlachius concedit, quòd Deus æqualiter omnes dilexerit, thes. 40. Item quòd omnes elegerit, thes. 33. Sed negat in numero dilectorum esse omnes, ibi 109. Et quando putas eum effaturum, omnes esse in numero electorum? Non dicimus ἐκλεκτῶν, nomine verbali, sed voce passiuā, atque tali, vt in scholis: Lego Virgiliū, & Virgilius à me legitur. Dicit Gerlachius: quòd Deus omnes elegerit in Christo ad vitam. Si itaque verè intelligit actionem in vocabulo eligere, cur non itidem dicit, omnes in Christo à Deo esse electos ad vitam? Ita enim seipso prodiderunt, par. 2. fol. 59. quod isto modo loqui non possint. Sic Hunnius concedit reconciliationem esse vniuersalem, qua Deus omnes sibi in Christo reconciliauit. Negat autem vocem hanc
passi-

Non esse redemptos.

passiuam, omnes esse *κεχαριστωμένους*, id est, reconciliatos seu in gratiam receptos à Deo, de prou. & prædest. fol. 579. Si in gratiam non sunt recepti omnes, certè nec etiam reconciliati, si non reconciliati, quæ illæ strophæ, quòd Deus omnes sibi reconciliauit? Hæc trepidatio non est de nihilo. Non amplius sunt filij lucis, qui propalàm esse, veranda, asseuerare amplius non audent. In cæteris aspice Wirtenbergicorum pallidum tremorem & tementem pallorem, vbi vniuersalem iustificationem & remissionem peccatorum effectam sanguine Christi, nec asseuerare nec etiam negare audent, & vtrobiq; fugitiui discursant per incertas propositiones, par. 2. fol. 115. Non sic spiritus Dei se gerit in filijs lucis, sed illuminati vitali ipsius luce disertè proferunt, id quod sentiunt, ignem enim habent Spiritus sancti, in cordibus accensum, quem occultare non possunt.

Nostri ergo aduersarij si spiritu illo essent præditi & certi aliquid tenerent, non sic sententias suas in faucibus & calamo distorquerent. Nam quod simpliciter creditur, simpliciter confitendū est, sicut Hieronimus scribit ad Theophilum Alexandria Episcopum. Quæso mi lector, lege Gerlachium nostrum in illis articulis omnibus, in quibus controuersias mouet multas & varias vt controuersiam, quæ eum Apostasiæ arguit, iterum sepeliat, lege & relege, & responde mihi, num vnā aliquam inuenias assertionem puram & liquidam: Conatur quidem Huberum vbiq; confodere sagittis, vt olim factum esse aiunt Sebastiano Martyri, suam verò sententiam quid verè statuatur, & cuius causa Huberum fodicetur, nunquam disertè proposuit fortasse ideo vsus hac astutia, vt quoties lubet, instar vulpeculæ suum semper reticulum perrumpat. Itemq; cum suo & collegarum nomine duos non modò respectus, sed etiam actus statuatur, & pariter oriundos ex Deo, in iustificatione, electione, redemptione, adoptione, peccatorum remissione, thes. 95. 117. & Wirtenberg. par. 2. fol. 122. 124. quando unquam attigit, & confessus est disertè alterum horum actuum, esse vniuersalem, alterum verò particularem. Hoc duntaxat tussit & tussiendo excreat duos esse actus ex Deo, & præter vniuersalem esse particularem quoque, & Huberum agnoscere tantum vniuersalem: Cur is se non sistit in hominum oculos & aures, vt antequam Huberum oppugnet, rotundè prius asseueret vniuersalē esse ex Deo actum in omnibus istis articulis? Quod si iam ea de re cum illo sit dimicandum, & pro confesso sumendū, quod

in omnibus prædictis articulis actum ex Deo confessus, sic vniuersalẽ scio, quod futurum sit, resiliet & certum est, ad suos socios particularios, & negabit factum, aut ita sua distorquebit verba, vt clamaturus sic tanquam aduersus atrocem iniuriam, quòd actum in Deo statuerit vniuersalem. Loquatur ergo si animal est, cui proprium est loqui, & loquatur *σηματικῶς* quid velit, & expromat sensa sua, ne opus sit diuinatione, aut Oedipo, qui nobis ænigmata ipsius soluat. Prodit hinc Gerlachius vulneratus & natans in Apostasia sed non sanatus stat, inter sacrum, & saxum: vna ex parte intuetur veritatem, quam persecutus est, & iuxta hanc Deum viuum videt cum exerta romphæa: altera ex parte suum Hunnium paruulum illum Deum suum spectat: & quo se vertat ac flectat, dubius stat & incertus. Diu autem ita non stabit; vret enim Deus vindex proditæ veritatis hominem istum, iudicio suo, hoc certum est.

Et quia ingenuè & candidè asseuerare nihil potest, neq; discernere vult, vt ego feci, in Apologia mea inter Actum seu respectu dationis, & actum seu respectu receptionis, ideo etiam ipse, & socii perpetuo affirmatorum & negatorum Euripo quasi æstu reciproco seipso conquassant & confundunt, & semper naufragi omnia Euangelicæ veritatis & certitudinis fundamenta euertunt & pessundant. Quocirca iam illorum artificium vnicum & maximum est, vt negent, quæ affirmarunt, & mox affirment quæ prius negarunt donec Ecclesiam penitus ab Euangelio auellant, Huius rei in aliquot articulis exempla spectanda subijciemus.

I.

De Vniuersali Expiatione, remissione, & deletione omnium peccatorum.

AIVNT & affirmant. Gerlachius in disp. de pass. Christi. *habita anno 1594. thes. 51.* Sicut pro peccatis totius mundi passus est (Christus) ita nõ tantum aliqua peccata omnium hominum *expiavit*, reliqua ipsis hominibus per varia traditionũ opera expianda relinquens: Sed *Omnia peccata omnium hominum, sanguine suo deleuit.* Tit. 2. v. 14. Christus dedit semetipsum pro nobis omnibus 1. Tim. 2. *Vt redimeret nos omnes, ab omni iniquitate: & sanguis Christi emundaret nos ab omni peccato, non ab aliquibus solum.* 1. Iohannis 1. v. 7.

Idem

Idem in thesibus Hub. oppositis, thes. 186. Et, si omnibus hominibus, per Christi mortem, ex æquo sunt remissa peccata: & *præter hanc vniuersalem remissionem*, nulla est particularis ex Deo: tum omnes homines ex æquo beati & salui erunt.

Et vnâ cum collegis, par. 2. fol. 116. *Christus totius mundi peccata expiavit.*

Et ibidem, 125. Et si verò Christus etiam pro impijs & incredulis legisatisfecerit, *Et Chirographum, meriti ratione sustulerit*: quia tamen in infidelitate manent, meritum Christi illis nihil prodest, nec Chirographum *Notæ bene* ipsis ratione vsus sublatum est. Et ibidem fol. 122. *Nos autem duplicem remissionem peccatorum & distinctos actus esse ex scripturis supra demonstra-* *trauimus.* *Et valde bene.*

Hunnius, de prouid. & prædest. fol. 226. Christus dicitur esse seruator mundi, quatenus *omnium hominum peccata expiavit*, & hanc salutiferam reconciliationem cunctis hominibus annunciari nec annunciari tantum sed etiam ab iisdem acceptari vult, ac præcipit.

Idem, thesibus Huberi oppositis thes. 152. *Liberavit omnes homines à peccato, morte & Condemnatione.*

Et cum Hunnio, Theolog. facult. in confess. fol. 2. Christum mortuum esse, vt *efficaciter & opere ipso* pro omnibus hominibus ex æquo plenè satisfaceret.

Et ibi, fol. 29. & 30. Christus satisfecit pro *omnium peccatis*. etiam condemnatorum, efficaciter & opere ipso & redemit eos à morte æterna.

Ex istis summatim sunt colligenda aliqua. 1. Vniuersaliter hic totum humanum genus comprehendit, & nominatim etiam omnes cõdemnatos. 2. Omnium hominum peccata hic comprehendit. 3. Monstratur iam Christus, qui omnium hominum peccata omnia expiavit: pro omnibus satisfecit, omnes emũdauit, omnes liberavit, omnes redemit; Chirographum omnium sustulit merito suo; deleuit omnium hominum peccata: & *factam esse asserunt vniuersalem remissionem peccatorum*. 4. Omnia hæc facta nõ metaphoricè, sed propriè & verè, non fide nostra, sed efficaciter, & opere ipso à Christo: eo quod hic redemit omnes homines *ab æterna condemnatione* etiam illos, qui tamen increduli permanēt, & condemnationis pœnam æternam subeunt. Hæc veritas est, & lux est Euangelij, ostendens nobis opus redemptionis factum pro omnibus, vt omnes possimus fide applicare nobis hoc beneficium redemptionis & dele-

72
 deletionis atque remissionis peccatorum nostrorum. Atq; hoc est fundamentum & est demonstratio, vt remissionis vniuersalis, ita etiam iustificationis vniuersalis. Hic si persisterent Theologi, halcyonia haberemus in Ecclesia, & Gerlachius suã ipse igni cremaret disputationem, & si electionem factam in Christo ad omnium salutem, verè statuerent aut sine Apostasia statuissent vniuersalem, nunquam à petra hac veritatis cœlestis defluerent, nec defluxissent, & seipso summae vanitatis probro nunquam macularent, & nunquam maculassent. Hic ergo intelligimus, quid affirmant.

Negant iterum: Gerlachius thesibus Hub. oppositis, thes. 178. & 180. negat ibi vniuersalem remissionem: videas autem simul, quomodo per infirmitatum fluctus sursum & deorsum feratur, & compara tuipse inter se thesin 178. & 186.

Idem thes. 219. Et licet non vbiq; expressa fidei mentio fiat, vbiq; tamen subintelligitur. Quia gratia Dei, obedientia, mors & sanguis Christi sine fide non iustificat, non emundant homines à peccatis.

Idem 258. Sic quoque verba, 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato: de fidelibus accipiendum est.

Idem cum Collegis par. 2. fol. 122. Quod ad locum 2. Cor. 5. attinet, verba illa: Non imputans illis peccata, *non sunt vniuersaliter accipienda* de omnibus hominibus absque respectu fidei: id est: fidei præuisa, aut fidei Christum amplexa.

Reconciliatio per Christum. Ibi fol. 46. Propositio igitur tua periculosa, & intollerabilis est, quòd omnibus hominibus, credentibus & non credentibus, Turcis & Christianis peccata per Christi mortem ex æquo remissa sint.

Hunnius, explic. controuers. fol. A. 3. a. Somnia sunt Huberi per generalem remissionem peccatorum omnibus ex æquo condonata fuisse peccata.

Idem in thesibus Hub. oppositis thes. 1. & 4. Huberus profitetur omnibus hominibus ex æquo, etiam Turcis remissa esse peccata &c. *Hinc tetrum & fœdum errorem. &c.*

Ibi thes. 7. Quam pulchrè ei remissa peccata? siquidem *vbi verè remissa peccata sunt, ibi omnis sublata ira & condemnatio.*

Meritum Christi. Polycarpus in respon. ad examen, fol. 61. Huberus in hanc amentiam ruit, alijs quoque simul in errorem abductis, existimans, Deum propter Christi meritum & passionem omnibus hominibus *semel remisse peccata.*
 Quòd

Quòd negent, quæ prius asseuerauerant, hæc sunt argumenta. 1. Nullam dicunt esse remissionem vniuersalem peccatorum. 2. Nunquam factum, vt Deus imputauerit filio suo peccata omnium hominũ. 3. *Non remissa & condonata esse peccata omnibus, merito & satisfactione Christi.* 4. Sanguine Iesu Christi non esse omnes homines à peccatis emundatos. 5. Locum, i. Ioan. i. pertinere tantum ad fideles. 6. Fædum & tetrum esse errorem, Christi merito, omnibus esse remissa peccata. 7. Non redemptos esse omnes à *condemnatione*. Ist hæc tradunt respectu operis & meriti Christi, & omnia prioribus cõtraria, & hæc est officina, in qua suam molitur impietatem, in neganda vniuersali redemptione. Nulla enim à peccato est redemptio facta, si nulla vnquam fuit facta remissio & deletio peccatorum nostrorum sanguine Christi, & si nunquam totius mundi peccata Christo fuerunt imputata. Hic fidei suum rescinditur obiectum, cum credi non possit nec debeat id, quod factum non est, & fieri non possit opus redimentis nos Christi & reconcilians Deo, si homo prius non credat. Hic tantisper nutabunt, donec abnegationem totius Euangelij vltimus ille operaturus fuerit Antichristus. Satis autem iam, quòd negant, imputata esse Christo omnium hominum peccata, si non imputata, nunquam etiam tulit peccata mundi, nec recepit in se expianda.

II.

De Sublata Ira Dei.

Eadem hic est ratio: nam vbi est remissio, expiatio & deletio peccati, hæc reconciliatio ibi ira quoq; est ablata, & vicissim. Iam vide illorũ strepitum etiam hoc loco.

Aiunt. & affirmant: Gerlachius disputat. Hub. oppos. thes. 20. Confirmat scriptura Deum *sibi ipsi omnes* per obedientiã, & meritum Christi reconciliãsse.

Ibi thes. 40. Deus *omnium equaliter misertus est*, omnes equaliter diligit, omnes per filium redimere, & propter filii meritum, per media ad salutem conferendam & consequendam ordinata, saluare constituit.

Idem cum collegis, par. 2. fol. 114. Reconciliationem ergo quod atti-

K

net, Si *Vniuersalis* accipiatur, nihil aliud est, quàm quòd Christus merito suo reconciliationem seu gratiam & pacem *Vniuerso mundo* impetrauit. De qua reconciliatione Paulus 2. cor. 5. Deus reconciliauit sibi mundum per Christum: *Sed præter hanc* est alia particularis reconciliatio &c.

Et fol. 115. Vnde manifestè videmus præter *Vniuersalem* illam reconciliationem esse aliam specialem.

Meritum Christi. Ibi diximus respectu meriti Christi ista beneficia esse *Vniuersalia* & consummata.

Fol. 116. liquet, quomodo sentiamus, & intelligamus. Deum *Placatum* esse totum mundo respectu meriti Christi.

Meritum Christi. Fol. 137. Priora verba: Mundum reconcilians sibi ipsi, *Simpliciter vniuersaliter accipimus*. Posteriora verò: Non imputans illis peccata: limitata intelligimus.

Sic Hunnius quoque, de prouid. & prædest. fol. 167. in præfat. *reconciliatum esse* profiteamur candidè *totum mundum in Christo*, Ratione operis à Christo verè pro totius mundi redemptione præstiti.

Et in confutat. præfat. fol. 131. Deus propter peccata nostra *totam & plenam molem iustæ, & intollerabilis iræ suæ*, in filium suum effudit.

Ex istis intelligimus, 1. vniuersalem approbatam esse reconciliationem. 2. Deum omnium esse æqualiter misertum. 3. beneficium reconciliationis esse consummatum. 4. Deum placatum esse toti mundo. 5. Omnem iræ molem in filium esse effusam: atq; hæc omnia per meritum Christi. 6. Deum sibi reconciliasse totum mundum. Hinc sequitur, iram ab hominibus per meritum Christi fuisse ablatam, & hanc cum ipso peccato huiusq; supplicio, & expiatione effusam fuisse in filium. Quis verò unquam differentiam poneret inter hæc, Deum esse placatum seu reconciliatum hominibus omnibus, & ab omnibus ablatam esse iram? Et quomodo ira non esset ablata ab omnibus, si omnes sunt reconciliati? vbi enim pax, ibi desijt esse ira, & quibus pacem restituit Christus ab illis etiam abstulit iram: & si redempti sunt verè & efficaciter atq; opere ipso à condemnatione est quoq; ira ab illis ablata.

Negant iterum. Hun. explic. contro. F. 3. b. Ergo qui nunquam crediderunt in filium Dei, ab eis etiam nunquam, *ne ad momentum quidem ablata ira Dei.*

In disputat. Hub. oppos. de iustif. thes. 15. Sin affirmet Huberus, tum vniuer-

vnuerfos homines vi meriti Christi esse iustificatos & remissionem peccatorum adeptos, etiam sine fide quando Christus in cruce pro totius mundi peccatis satisfecit: nonne tempore durantis huius passionis, etiam Caiphas cæteriq; iuratissimi hostes Domini Iesu fuissent à peccatis iustificati, & ab ira Dei liberati?

Meritum
Christi.

Hun. cum collegis, in confess. fol. 82. Huberus accipiat exempli gratia Turcam, & monstret, quando & quo tempore ab illo unquam ira Dei, actu & ipso opere sit ablata?

Fol. 85. Extra hanc remissionem peccatorum per fidem imputatam, nullo momento ira est ablata, actu, ab ijs qui non credunt.

Et supra allegatum est ex libro Wirtembergicorum, nunquam fuisse peccata totius mundi Christo imputata, & nunquam sanguine & morte Christi omnes fuisse mundatos à peccato.

Ex istis intelligimus ipsorum esse mentem nunquam iram esse ablatam ab omnibus ipso actu, & opere meriti Christi: Et diligenter notandum, agi hic de actu meriti Christi, & non de actu applicationis. Sicuti etiam nemini non perspicuum, non de applicatione, sed de beneficio Christi totum mundum reconciliandi, inter nos esse controuersiam. Ex his itaq; apparet, quod negent iram esse merito Christi ablatam à toto genere humano. Si ablata non est, nõ etiam redemptus est mundus ab ira, non reconciliatus est: Non liberatus est à condemnatione: non deletum est Chirographum: onus peccatorum nostrorum aut nõ recepit in se Christus, aut nondum deposuit: nec recepit, si peccata totius mundi non erant ei imputata. Falsa ergo omnia & simulata atque metaphorica, quæ loquuntur de vniversali redemptione & reconciliatione & quæ scripserunt de redemptione omnium à condemnatione.

Quærent, quomodo in incredulis manserit ira Dei, si ira eis fuit ablata? Quæro vicissim, quomodo fuerint reconciliati Deo, si ira Dei mansit super eos? Et quomodo redempti ab ira, & condemnatione si ira Dei mansit super eos? & quomodo omnes liberati à morte, si aliqui manent in morte, vt Iohannes inquit, I. Ioan. 3. Dum isthæc in suis respectibus inter se conciliare non possunt, ideo actu applicationis sumpto, actum illum Dei vniversalem, quo per Christi satisfactionem nobis reconciliatus est, abnegant, aut ita porro concedunt, vt metaphoricum & inanissimum eum faciant. Dicitur autem ira ablata, condemnatio ablata, mors ablata, ab omnibus respectu satisfactionis præstitæ per Chri.

stum, cuius intuitu placatus est Deus toti generi humano, non minus quam etiam totum in lumbis Adami perierat, & condemnationi obnoxium erat factum. Quia verò hoc beneficio nemo fruitur, nisi qui per fidem in Christo viuit, in quo reconciliatio est facta, ideo hoc reconciliationis non applicatæ, respectu dicuntur increduli esse, & sunt sub ira Dei. Interim sophisticam suam immiscent, cum actus faciunt mentionem, & disertè nunquam explicant; num eum ad fruitionem pacis cum Deo, referant: hac amphibologia decipiunt in cautos. Verum tamen, quòd intelligat de actu meriti Christi: eius enim respectu esse dico rem ablatam iram: & hoc impugnârunt hætenus, sicut etiam ex verbis Gerlachianis in primo articulo audiuius. Vtrunq; ergo verum, ablatam esse à reprobis iram Dei, per satisfactionem Christi (quod Hunnius negat.) & manere tamen super eos iram Dei. Aliud enim est reconciliatum seu placatum esse Deo per Christum aliud reconciliationem illam fide amplecti, & in pace viuere: & nisi illud prius factum ac præstitum fuisset per Christum, non poterat reconciliatio, annunciari, & Euangelium prædicari ac fides præcipi toti mundo: & simul quoque istud posterius nullum vsque locum inuenire posset.

Hunnio sunt verba visitationis Saxonica in faciem fricanda, quæ ita sonant: Hæc est confessio nostræ orthodoxæ Ecclesiæ, Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, & mortuum esse pro omnibus, & efficaciter morte sua hunc (mundum) reconciliasse, patremq; acceptasse verè hanc omnium & singulorum hominum reconciliationem: iam verò in hoc positum esse, an consequenter homines hanc per sacrificium Christi factam reconciliationem cum Deo, recipiant vel non: Manere enim in recipientibus eam fide, efficacem, inefficacem autem fieri & perire in omnibus repudiantibus eam incredulitate. Hæc verba tonitrua habent aduersus Hunnianam in Saxonia Apostasiam.

Visitatio Sa
xonica fol.
316.

III.

De misericordia & gratia Dei.

AIVNT & affirmant. Gerlachius, thes. Hub. oppositis, thes. 26. & 27. quòd liber concordia habeat, Deum omnium esse misertum. Hun. de prou. & prædest. 238. Propositio est omnium Calvinistarum: Deus

DEVS non vult omnium & singulorum misereri.

Ibi in præfat. b. 4. b. Membrum prius: Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium suum daret, certum est, explicare misericordiam illam Dei, quo *totum genus hominum, ita complexus est*, vt vnigenitum filium suum daret, ac mitteret seruatorem mundi.

Confutat. præfat. 110. Docet Euangelium, quomodo Christus sit saluator *totius mundi*, in quo Deus cor misericordiæ aperuit in humanum genus, *miserus in eo omnium hominum*.

Idem contra Hofmannum. fol. 37. *Beza mustert aus die allgemeine Gnade Gottes.*

Suprà ex Gerlachio allegatum: quòd Deus *omnium aqualiter miserus sit.*

Hinc colligitur 1. Deum omnium esse miserum. 2. Omnes complexum esse. 3. complexum esse omnes æquali misericordia. 4. cor aperuisse misericordiæ in omnes. 5. Calvinianam esse hæresin, Deum non esse miserum omnium hominum.

Negant iterum. Gerlach. thes. Hub. oppositis. Negat ibi omnes esse acti in gratia Dei, thes. 109.

Hun. de prouid. & prædest. fol. 168. 169. *nō vult Deus misereri omnium actu.* NB. *Vocabulum Actus.*

Ibi fol. 579. adhæc attendēda est in allegato Apostoli Pauli textu; vox *ἐκρίνω* quod nō simpliciter significat dilectionem. *Sed acceptationē in gratiam* ac proinde *competit solis his*, qui in gratiam & fauorem iam sunt recepti, nequaquam verò ijs, qui vinculis adhuc iræ Dei & maledictionis tenentur irretiti; quod si D. Huberus statuit etiam Turcas, Iudæos, Epicuræos, reprobos, *damnatos comprehensos* sub augusto hoc titulo *τῶν κεχρισμένων* dicent omnes sani eum toto errare cælo. Paulò post: potestné aliquis esse *in gratiam receptus, κεχρισμένος*, super quem manet ira Dei.

Et in præfat. L. 3. a. Apostolus eiusmodi verbo ibi vtitur, *quod ad infideles aptari impossibile est*, dicens echaritosen himâs, acceptos vel *gratiosos nos fecit in dilecto*. Cecharitomeni autem, hoc est *in gratiam recepti* & *restituti* seu gratiosi redditi sunt soli fideles.

Grundliche vviderlegung, fol. 63. 73. 90. Electum esse, & *in gnaden erkent seyn*, idem est.

Idem thes. Hub. oppos. de iustif. thes. 1. & 4. *totum genus humanum re-*

ipsa in gratiam, & sinum Dei receptum esse teter et fœdus error.

Idem, contra D. Hoffmannum. fol. 36. De vocabulo hoc *echaritose* iterum dico, neminem accensendum esse, ad cecharitomenos, & ad eos, die zu gnaden gebracht und Gott angenehm gemacht sind, nisi fide præditum.

Cum collegis, in confes. fol. 50. *Begnadet seyn, und auffsonderliche vweis in Christo geliebet seyn*, tantum ad eos, qui credunt. Repetunt, fol. 72. 84. 85. Non omnes Adami posteros actu in gratiam esse receptos, Et fol. 119. Non omnes *in amplexu gratia* & *reipsa* in sinum misericordiæ diuinæ receptos.

NB. respe-
ctu Dei: atq;
hic intelligis
quid nocent
Actum.

Gerlachius cum suis collegis par. 2. fol. 123. Nam si Deus simpliciter absq; respectu fidei, & ante respectum fidei, sic omnes in gratiam recipit, *ut respectu Dei, sint in gratia & sinu Dei*: quomodo ira Dei manet super eos?

Ibi 139. Ita quoque ab æterno, secundum propositum & beneplacitum Dei, *nemini data seu ordinata & destinata est gratia & salus*, nisi credentibus.

Hic negant, 1. vniuersalem misericordiam Dei actu præstitam omnibus. 2. Actu non esse misertum omnium. 3. Non omnes acceptatos in gratiam. 4. Non omnes factos gratiosos in dilecto. 5. Non omnes re-titutos esse in gratiam. 6. *Sie seyen niemal allesampt in Gnaden erkant.* 7. *Niemal alle zu Gnaden gebracht.* 8. *Niemal alle begnadet.* 9. Gratia amplexu non omnes esse comprehensos. 10. *Non destinatam esse gratiam omnibus ab æterno secundum propositum & beneplacitum Dei.* 11. Et ne quis existimet de applicatione & effectu gratiæ in homine isthæc dici, clarè & perspicuè sese explicant, quòd loquantur non de applicatione, sed de respectu Dei, vbi nimirum actus Dei in Christo præstitus in considerationem venit. Ibi, ibi negant, vniuersalem misericordiam in omnes esse factam. Omnia hæc magnum illud continent sulphur, ex quo Hunniana & Calviniana proluuies Apostasiam accendet in Occidente, aduersus Euangelium Iesu Christi. Restringunt enim misericordiam Dei ad paucos, quos nominare non possunt, & ad credentes, cum credens nullus sit, nec esse possit, nisi Deus prius in Christo omnium sit communi, & æquali complexu, misertus.

I I I I,

De redemptione.

Con-

Concurrunt isthæc semper in vnum. Ideo autem diuisim proponuntur, vt eò magis sint conspicuæ Antilogiæ & tot phalanges & tot sagittæ conuictorum aduersus nomen Iesu.

Aiunt & affirmant, Gerlachius thes. Hub. oppos. th. 328. Nec vlla ratione, vt putat Huberus, doctrinam hanc infringit opus redemptionis Christi. Is enim secundum misericordiam & gratiam Dei *liberauit nos ab ira, maledictione & morte*, quam ipse Deus secundum iustitiam suam minatus est, & irrogat impœnitentibus.

Hun. thes. Hub. oppositis thes. 152. Respondemus in initio, constanter nos docere, Christum ex decreto consilio, ordinatione, beneplacito & mandato æterni patris *omnes ad vnum mortales, nullo vnquam, aut vsquam excepto liberasse à peccato, morte & æterna damnatione.*

NB. Annon
salus omni-
bus destina-
ta.

Confutat. præfat. fol. 21. Christum *verè redemisse omnes homines, nullo penitus excepto, à nobis traditur.*

Idem, cum collegis, in confes. 38. Christus patris decreto æterno *redemit omnes, omnes omnes, quotquot vnquam vixerunt, & in posterum sunt victuri, à peccato, morte, Diabolo, & æterna condemnatione.*

Vides, quàm lucida hæc sint & splendida ex Euangelio? 1. *liberatos nos esse omnes ab ira.* 2. à maledictione. 3. à morte. 4. à peccato. 5. ab æterna condemnatione. 6. verè. His adde iam quod suo loco allegatum est efficaciter, & opere ipso, actu nimirum Dei libertatos esse & reconciliatos. 7. Nullum vnquam aut vsquam ab hac facta liberatione exceptum esse hominem. Hoc est fundamentum totius Euangelij.

Negant iterum, Hunnius cum collegis, in confes. fol. 30. *Es verdreust Hubern sehr, daß vvir ihm seine Phrasin nicht haben können lassen gut seyn, da er geschrieben, Christus hat dem gantzen Menschlichen Geschlecht vbergeben, oder geschenckt die Erlöfung eigentlich vnd in der That selbst.*

Si propriè & opere ipso, redemptio donata non est, toti generi humano, nunquam etiam illud dici potest redemptum fuisse à peccato, morte, & æterna condemnatione. Quomodo enim redempti, si redemptio donata & exhibita non est? Huc iam etiam omnia illa quæ drant allegata ex scriptis illorum, non esse iram ablatam ab omnibus, non receptos esse omnes in gratiam, non imputata esse Christo omnium hominum peccata, non omnium esse Deum misertum. Hæc omnia quamdiu asseuerant, tam diu etiam negant vniuersalem redemptionem

gene-

generis humani, nec desinent hanc flagellare, donec vniuersalem exci-
tarent Apostasian.

V.

De Iustificatione.

Ajunt & affirmant. Gerlachius in Comment. Epist. ad Ephes. Cap. 1.
Omnes homines redemptionem & vitam in Christo habent.

Mox: Est agnus Dei tollens peccata mundi, vt nos fieremus iustitia
Dei in ipso, id est, *Vt omnibus hominibus iustitia & meritum Christi impu-
taretur, sicut Christo imputata sunt omnium hominum peccata.* 2. Cor. 5.
Hæc Gerlach.

Quomodo itemq; vniuersalem in actu Dei fecerit, supra suo loco est
indicatum, & huc cum primis pertinet, quòd confessi sunt remissionem
peccatorum vniuersalem, & iam Gerlachius, quòd in Christo omnes
vitam habeant.

Hic manifestè iterum approbant vniuersalem iustificationem, in qua
Christo imputata sunt omnium hominum peccata. Et diligenter ob-
seruabis locum 2. Cor. 5. Sine limitatione vnà cum reconciliatione ex-
tendi in omnes homines.

Negant iterum. Gerlachius in thes. Hub. oppos. 185. 194. 208. 216.
219. 230.

Ipse & socij locum ad Corinth. de vniuersali iustificatione iterum e-
uertunt. par. 2. fol. 137. Mundum reconcilians sibi ipsi, simpliciter vni-
uersaliter accipimus, posteriora verò: *Non imputans illis peccata: limitata
intelligimus,* modo in verbo Dei expresso, & secundum Paulum, Rom. 4.
de fidelibus interpretamur.

*NB. Quere
quomodo re-
dempti non
facta absolu-
tione à pena
sunt?*

Ibi fol. 120. Non enim vult Brentius, quòd iustificatio hominum sit
vniuersalis, quemadmodum redemptionis vniuersale est beneficium:
quia duo eadem latitudine, perperam sumit Huberus.

Quid multis? Contra vniuersalem iustificationem theses suas scri-
psit Hunnius in Disp. Hub. opposita.

Quod itaque manifestè negent iterum iustificationem vniuersalem
in suis antea legitimè demonstratam fundamentis, satis hæc sunt per-
spicua, & semper iam liquet, quòd negent omnium hominum peccata
fuisse

fuisse imputata Christo, aut si imputata concedant, negant esse expiata satisfactione pro omnibus præstita, & faciunt redemptionem à peccato nunquam in iudicio Dei approbatam pro generis humani salute.

V L

De Saluatione.

Aunt & affirmant: Gerlachius thes. Hub. oppositis 4. 12. 13. 14. 32. Dei esse propositum omnes homines saluandi per Christum, eò quod is dedit seipsum precium redemptionis pro omnibus.

Idem cum collegis, par. 1. fol. 3. Dilectio, qua vniuersaliter nostri miseretur, & filium destinat saluatorem mundi.

Hun. de prouid. & prædest. a. 5. b. *Deus vult omnes frui delicijs domus sue.*

Ibi fol. 217. 218. Christus venit ad saluandum omnes. 409. Vt saluetur mundus.

Et Thef. Hub. oppos. thef. 2. Vt omnes salui fiant. Thef. 6. Vt mundus saluetur.

Cum collegis, in confes. fol. 2. Missus est filius vt totus mundus per eum saluaretur. Ibi fol. 41. *Christus hat sie alle sollen zum Leben bringen.* fol. 50. Totum mundum debuit saluare. Wirtenb. Theolo. 2. par. fol. 46. Generali decreto credentes & non credentes seruare voluit.

Ex hac confessione colligimus: 1. Saluationem ex consilio & decreto Dei esse vniuersalem & exporrectam in omnes homines & in non credentes. 2. Christum eam ob causam venisse in mundum. 3. Velle Deum vt omnes fruantur delicijs domus suæ, quod nihil est aliud, quàm Dei ab æterno consilium fuisse actu omnes saluandi, ideoque expressè dicunt, Christum debuisse omnes saluare & reducere ad vitam.

Negant iterum. Gerlachius thes. Hub. opp. thef. 273. Sic quando Paulus 2. ad Tim. 1. scribit: Deus soluos nos fecit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, hæc nequitiam vniuersaliter de omnibus hominibus, tam fidelibus quàm infidelibus, vt Huberus vult, sed tantum de credentibus accipi possunt.

Ibi thef. 281. Vult tantum credentes saluare.

L

Hun.

Hun. de prouid. & prædest. in præfat. b. 2. b. Nullibi habetur in omnibus meis scriptis verbum actiuum *SERVARE*, vt Toffanus allegat. Scio enim Deum in actu velle *SERVARE* solos credentes in filium. Vfus ergo sum, ad imitationem Apostoli qui habet infinitiuum *σωθύναι*, verbo passiuo significante saluos fieri.

Hoc illi

semper particulare est.

Contra D. Hoffmannum, fol. 77. decernere saluare, nihil aliud est, quam ad salutem eligere, & destinare.

Theol. Wirtenb. par. 1. fol. 132. *Non nisi perseverantes in fide, saluare voluit.*

Et part. 2. fol. 49. *Deus nunquam voluit, vt increduli & contemptores Euangelij saluarentur.*

Quod negent superiorem confessionem, verba hæc expressè testantur: 1. Deum non nisi credentes voluisse saluare. Atq; huc referunt decretum saluandi, & electionem atq; destinationem ad salutem, quæ ab Hunnio semper ad paucos referuntur. 2. non credentes nunquam voluisse saluare. 3. negat Hunnius verbum actiuum *Seruare* nunquam à se vsurpatum esse in omnes homines. Atque alibi etiam habent, vt supra est allegatum, salutem & vitam ab æterno nunquam fuisse omnibus destinatam. 4. Hæc non referunt ad respectum applicationis, sed ad ipsum Dei consilium, in quo negant ad salutem in Christo accipiendâ omnes homines fuisse destinatos. vbi enim destinatio nõ est, ibi quoq; consilium non est: & vbi consilium non est, ibi quoq; nulla destinatio.

Causa inconstantia.

Demonstrauimus ergo, qua isti circumferantur incertitudine fidei suæ, & quibus Antilogijs ad ruinam iam crepent. Vident lucem & agnoscunt eam aliquando: mox autem extinguunt & pernegant eam iterum. Hinc fit, vt in pugnis semper elabi conentur, modò hoc, modò illud affirmantes. Huius inconstantia causa est, principium illud omnium blasphemiarû, de particulari electione. Huius enim quando obliuiscuntur, multa adhuc loquuntur pietati Christianæ congrua. Quamprimum autem ad suum hoc respiciunt principium, neganda sunt eis iterum, quæ affirmarant, eò quod hæc isti principio conformia esse nõ possunt, imo ea ipsa, quæ per se bona sunt, in bonitate retineri non poterunt, nisi sua prius abijciant principia. Sic olim Arrij & Euzoij confessio, qua se iterû Ecclesiæ approbabant, satis erat bona, principijs autem ipsorum contraria. 1. concil. 159. 502. 2. cap. 26. Et Arrianorum discipuli, qui ab homouiso discesserât, multa videbantur benè adhuc loqui
in con-

Veteres hæretici.

in concilijs, sed tandem Acatiani, Eunominiani & Aëtiani demonstra-
bant, quod cum principijs fidei suæ ista non cohærent, ideoq; redi-
bant ad illud Arrij principium, de diuinitate Christi è non existentibus.
Iam in Hunnianis quoque & ipso Hunnio apparet, quomodo fluctu-
ent in fide sua contrarijs assertionibus. Quia omnia illa, quæ speciem
boni & veri adhuc habent, principio reluctantur particularitatis: Neq;
vlla arte, & sutela consui, & conglutinari cum ijs possunt: vnde fiet tan-
dem, vt discipuli horum penitus transeant ad Caluini, Zvvinglij &
Carlstadij castra, qui magnæ Apostasiæ prima iecerunt principia & ex-
ordia. Illud quod de fide adhuc tinniunt ad aures nostras, inanis est so-
nus, & obiectum nullum habet: & tandem illa fiet fides, de qua Zvvin-
glius quod Numas, Hercules, Theseus & alij in fide sint saluati: & talis
fides nusquam non prædicatur in Alcorano. Quapropter hic admonē-
da est Ecclesia, vt destruat in autoribus principia ex quibus suppurat &
exæstuat Apostasia, & ex quibus omnia, etiam, quæ commodè dicta vi-
dentur, morbida tamen sunt & instabilia, & pleraq; ab aduersarijs vsur-
pata vt incautiores decipiantur & fascinentur

Quod Gerlachium concernit, sic est excutiendus hac spelunca, vt
summa vi comprimatur ad vnus duntaxat assertionis vel affirmatiuæ *Actus Uni-*
vel negatiuæ confessionē, In illo nimirū respectu, quādo de actu loqui- *uersalis.*
mur Dei, nos per Christum reconcilians, redimentis, iustificantis &
saluantis. Constringatur ergo, vt hunc actum Dei in filio suo vnigenito
præstito vel in omnes homines, vel in paucos tantum sine ampagibus
reijciat & condemnet. Nisi hoc fecerit, ebrius Calviniano spiritu sem-
per nunc ad istum, nunc ad illum vacillabit parietem, & Apostasiæ un-
diq; aperiet ostium.

CAPVT DVODECIMVM.

Sexta Spelunca Gerlachij.

De Duplicitatibus.

Sicuti particularis electio. perpetuis antilogijs autores facit in stabi-
les & lubricos in fidei sui confessione: ita etiam causam præbeu ad
duplicitatum gemellationem,

L 2

Quod

*Scriptura
in vniuer-
salibus.*

Quod inde fit, quia paucitas illa, quæ principium est omnium causarum secundarum, voluntatem Dei semper restringit cum causis medijs ad paucos saluandos. Cum verò scriptura contra illam paucitatem tonet & fulguret & tradat omnia ex Deo vniuersalia: omnes nimirum esse ad Dei imaginem conditos: omnes post lapsum redemptos; omnes vno eodemque consilio vocatos ad vitam; iam opus est Hunnianis. vt duplicitates, in omnibus fidei fundamentis ingerant, atque ita, vt in Deo statuatur eum vniuersalia, tum particularia, & quæ vniuersalia vt omnia illa semper improprie aut metaphoricè vt Thomas dicit, quæ verò particularia, proprie intelligantur. Viam haberent ad Apostasiam expeditiorem si vniuersalia penitus negarent, Deumque; (quod horrendum est) aperto rictu fallaciæ accusarent: Verum hoc in Ecclesia, quæ fidem Christianam nondum abiecit durius in primo statia exordio sonaret. Ideoque; visum est Diabolo, satis esse in initio verbotenus Deo attribuere, at simul illam figmento particularitatis ex opposito clam vanitatis accusare, & sic sensim in despectum adducere, vt suo tempore corruat. Hæc autem est causa & origo duplicitatis, quod dños (& præfertim Gerlachius) faciant actus ex Deo, electionis, dilectionis, misericordiæ, remissionis, reconciliationis, vocationis, decreti &c. vnum in omnes, alterum in paucos sese extendens, vt dupliciter Deus & diuersimodè atque discretè eligat, diligat, misereatur, remittat peccata, reconciliet vocet, decernat, velit &c.

Priori Actui, quem solum vniuersalem appellant, ademerunt hætenus consilium, & decretum Dei, & ex eo fumos & vanitates suas eduxerunt de dilectione vniuersali, & vocatione vniuersali, in verbo & sacramentis in altero docuerunt occultam vim esse cum decreto ad paucos singulariter electos. Exempla hic aliquot recensimus.

Dilectionem fecerunt duplicem; sed nota, non respectu causæ & effectus, sed duntaxat causæ respectu in Deo. Hun. Explic. contro. 4. b. de prouid. & prædest. fol. 578.

Hinc illud ibidem, fol. 639. omnes esse à Deo dilectos, sed non omnes in gratiam receptos Vide quoque Gerlachium thes. Hub. opp. thes. 71. Et conatur tamen ibi eluctari (thes. 72.) ex Hunnij Calvinismo, vbi dilectionem vniuersalem collocat in voluntate vniuersali, in qua etiam collocat electionem nostri ad vitam. Particularem electionem appellat dilectionem in dilecto. Hun. explic. contro. D. 1. b. disp. Rung. 1. thes.

72. de.

72. de prouid. & prædest. fol. 127. 147. 578. Et appellat peculiarem dilectionem, iuxta quam eligamur, confutat. præfat. fol. 27. Vbi notabis dilectionem vniuersalem particulari, in opposita notione contrariam, non esse dilectionem in dilecto, nec illam, ex qua & iuxta quam nos Deus eligat ad vitam.

Hic tremit adhuc Theolog. facult. Witteberg. in confes. fol. 50. 67. Non vult enim asserere vniuersalem dilectionem extra Christum, & tamen eandem non vult asseruare factam esse in Christo. Quomodo isthæc omnia Caluinistis congruant, vide Zanchium idem idipsum statuentem in lib. de nat. Dei, fol. 326. & Thomam Aquinatem, sentent. lib. 3. distinct. 32. quæst. 2.

Sic fecerunt duplicem ex parte Dei, *remissionem peccatorum*. Gerlach. in thes. Hub. opp. thes. 183. Hoc benè notabis, & mirum est, quòd non dicant, duos esse Christos missos à Deo.

Certè duas faciunt *fides iustificantes*: vnã, communem, infantibus baptizatis & omnibus credentibus, priusquam deficiant, qua vitam apprehendant æternam, ad quam nunquam tamen sint ordinati & destinati, & aliam, in illos tantum determinatam, qui electi sunt ad vitam, & vocati cum proposito. Communem ergo illam fidem faciunt metaphoricam quandam fidem & opinionem quandam ex specu tenebrarum, plenam vanitatum, in qua vita æterna quærat, nunquam à Deo destinata, & nunquam ordinata, vt apprehendi debeat. Fidem autem verè & propriè & absque metaphora dictam, assignant ad scriptis in quodam occulta, & nobis non reuelata electionis libro.

Quapropter hinc etiam patet, quòd nullam de electione certitudinem cuiquam monstrare possint. Nam si maximè sentiatur fides, nondum tamen certum est ex vtro fidei genere, illa habenda sit. Nec quicquam ante glorificationem vltimam ex Hunnians principijs afflictio homini constabit. Subruitur itaque verbum à sua vniuersalitate, & fides sua quoque eneruatur certitudine. Quid fiet tandem?

Inde duplex quoque *vita æterna*, alia vera & prædestinata paucis, alia falsa aut metaphorica, & communis ijs, qui à Deo non sunt prædestinati, sunt in Christo ad vitam.

Vocationem faciunt duplicem, vnã efficacem, cuius causa & principium sit electio particularis, afferens secum propositum & consilium Dei, vnde manifestè confitentur aliqui sectæ huius, hanc causam esse.

quòd aliqui qui nempe huic vocationi non sunt assignati in occulto Dei beneplacito credere non possint: alteram vocationem huic opponunt inanem, & vacuam consilio, & proposito Dei.

Saluationem enim duplicem faciunt: aliam qua Deus decreuerit actu saluare eos paucos tantum quos solos elegit ad vitam, de qua Hun. thes. Hub. opp. th. 68. vbi inquit: Eligere ad salutē nihil aliud est, quàm ab æterno seu ante tempora secularia decernere seu decretum facere, quos Deus actu quandoq; saluare velit. Idem Theol. fac. in confess. fol. 37. Alia nunc est saluatio, quæ in Dei decreto nō habet actum saluandi. Sic audimus saluationes esse duas, vna quæ actum secum afferat, altera quæ careat actu. Falsum itaq; quod alibi dixerat Hunnius, Deū velle omnes comparere & frui delicijs domus suæ. De prouid. & prædest. fol. a. 5. b. Et perinde iam sonat, ac si diceret, conuiuium esse paratum à patrefamiliâs omnibus, vt omnes edant & bibant, sed non vt actu edant & bibant, aut omnibus paratum esse conuiuium, actu autem paucis paratum esse. Quis non videt insignes fraudes & deceptiones?

Hinc. in *Baptismum eorum*, duplex influit saluatio. Nam iuxta Paulū, Tit. 3. Ephes. 6. & 1. Pet. 3. Saluamur omnes in Baptismo: Sed hic respōdebit Hunnius, multi ex his nunquam ordinati sunt vt saluentur actu. Ergo ibi actu nihil contigit, nulla collata est salus, nulla vita, nulla in Christum in fitio, nulla communicatio Spiritus Sancti, aut si talis, attamen nullus actus verus est saluationis, nec pro vero habēdus. Sic omnis tollitur certitudo in Baptismo, & pascitur miser peccator mera opinione, qua sese cum ad agonem veniet, contra Sathanæ insultus defendere nunquam poterit. Atque sic quoque intelligimus, quid sibi velint duo illi ex Deo actus, alter nimirum vniuersalis, & fucatus, alter verò Specialis, & verus.

Hunnus adhuc longius procedit, & duplicem facit *obsignationem gratia*, vnam, quam appellat literalem notitiam verbi, quanuis ea non sit *gratiosè obsignata in cordibus* per spiritum Dei. De prouid. & prædest. fol. 314. & tribuit hanc ijs, qui renati erant in Baptismo, sed postmodum peccatis suis dono regenerationis iterum exciderunt. Altera obsignatio (& vt Gerlachius diceret, alter actus Dei) iam huic est opposita continens obsignationem gratiosam profectam à Spiritu sancto & pertinentem tantum ad paucos illos electos. Nihil ergo hic certi, an verè simus membra Christi, & an verè Spiritu Dei obsignati, si maximè in nomen Dei patris, filij, & Spiritus sancti baptizati. Sic

Sic idem Hunius *præscientiam* facit efficacem & gratiosam, disp. Runthef. 8. qua paucos homines præscit cum gratia & proposito, & in libro *Grundliche Uviderlegung*, fol. 91. quos in gratia cognoscit, & Theol. facult. fol. 109. appellat: *die in Gnaden vñuerborgene*, alia iam est huic opposita, & sine dubio illa, qua nos diligit Deus absq; Christo & ita etiam cognoscit extra Christum, & siue omni gratia omniq; efficacitate etiam in ipso Baptismo.

Eò duplex etiam illa pertinet *iustificatio*, seu duplex ex Deo actus Gerlachianus in iustificatione. Iustificantur enim aliqui iuxta hos, peculiari actu, vt in futuro seculo glorificentur: eò referunt omnes iustificatos, quos Deus gratiosa præscientia præcognouit, & quos vocauit efficaciter, seu secundum propositum, & hoc peculiari iustificandi actu iustificati semper gloria coronantur in futuro seculo. Alij contrario iustificantur actu, in quo illæ iustificationis causæ non extant, quæ in actu altero: Huc referunt plerosque baptizatos & plerosq; iustificatos per fidem.

Ex hoc fonte faciunt duplicem *inscriptionem* in librum vitæ. Hun. de prouid. & prædest. 547. 709. vbi aliqui actu sunt inscripti vero & prædestinario, cuidam libro ad vitam, seu potius tabellæ ex altera parte vitæ. Alij autem non inscripti illo actu: & ad hos referunt inscriptionem, quæ fit in Baptismo. Illa est vera, hæc verè delusoria, illa radijs lucis & vitæ, hæc radijs doli & tenebrarum repleta, armata & instructa. Omnibus autem omnia dubia, siue vero aut falso stylo sint inscripti.

Itæ duplicitates ideo sunt inuentæ, vt aboleant fidei verum & vitæ suum obiectum, atq; vt homines labyrinthis dubij obiecti & perpetuis dubitationibus implicentur, & tandem desperatione stranguentur. Aliud est, si diuerso respectu considerentur datio & receptio, vbi datio est, qua ex vno Deo per vnum Christum omnia exhibentur communia, receptio autem est ipsa fides, qua homo bonum omnibus ex æquo expositum, in vsum suum transfert, desertio vicissim est, communis boni illius contemptus & despectus. Hoc diabolicum est principium ad magnam illam Apostasian, cum misericordiæ actus in Deo diuiditur, & diuisus fidei obijcitur assumendus, atque in generali omnis excinditur veritas, in particulari autem omnis præciditur subsumendi & credendi certitudo, sub hac nemo potest subsumere, sub illa verò nulla nisi vana est verum vanarum subsumptio.

*Cur inuenta
duplicitates.*

Ex

Actus ex
Deo.

Iohan. 1. 9. 6.

Ex hac cauerna Gerlachius est extrahendus, vt vnum ex Deo & non diuisum actum agnoscat, qui fidei debet esse obiectum, & qui sit æqualis & indiscretus in Christo vno mediatore inter Deum & homines, in omnes homines, qui venit, vt daret mundo salutem. Deinde cogendus, vt vniuersalem hunc actum disertis & perspicuis astruat verbis, aut simpliciter illum neget; nisi fiat, struit insidias nouas. Istæ enim verniculatæ confessiones & versicolores tandem dilabentur in Catachresin, ibique exarcescent, & ex ea transitus fiet (pons quippe iam est stratus) ad absolutum decretum. Et hæc est maxima causa, quamobrem Caluiniano Hunnismo, & Hunniano Calvinismo obluctandum est. Si ad perspicuam declarationem Gerlachius adigi non possit: foris simulat confessionem, clam verò sub pallio aliam continet, sicuti Arrium fecisse scribunt, & hoc dabit occidenti malum, quod Arrius orienti.

CAPVT DECIMUM TERTIVM.

De effreni malitia Gerlachi.

Falsa allo-
gatio.

DE Gerlachio multa etiam alia concurrunt suspectissima & plenissima sumæ improbitatis, & amentia, quo fit, vt nihil integri & boni de isto sperare possimus homine. Malitiam comisit insignem tumultuaturus aduersus me in disputatione sua, totus in hoc, vt criminatio- nibus me obrueret. Thesi enim 30. ait à me scriptum esse, in Apologia mea *Rettung*, &c. quod Deus cogatur permittere impiorum condemnationem. Erat autem litera in vocabulo *nichtige* à typographo mutata & supposita alia, vt pro *nichtige* legatur *richtige*; Atq; id ipsum in erratis, postea est emendatum, dilucidè & perspicuè. quod à Gerlachio etiam visum & lectum fuisse, præsertim in copiosiore assignata erratorum emendatione libroq; ad calcem adiecta non dubito, quin imò si in recensendis erratis prætermisum esset, ipse tamen verborum fulgor indicat, nullum in verbis esse sensum, si aliter quàm *nichtige* vox illa legatur, Vir tamen ille ipsa amentia amentior & vbiq; calumnias conqui-rens aduersus me, fuit hic plus quàm in aliis calumnijs omnibus aduersus me, quòd Deo ascripserim coactionem, & huic fundamento, quod cæca rabie ad explendum sitim suam aduersus me, arripuerat, theses

theses imponit ordine triginta septem. Si exscindantur hæ theses 37. quæ furua & lurida mendacia cōtinent, viscera perdidit totius suæ disputationis aduersum me. Atrocissimo autem spiritu calumniæ arreptus fuit aduersus me, ista euomens, cum per totum contextum dimicem contra coactionem, quam aliqui Deo per consequentiam quandā ascribere conantur. Quis ille furor, vt isthæc non viderit & legerit; & non intellexerit in libro meo contrarium, & omnino contrarium doceri? & vide ibi (fol. 228. lin. 10.) verba mea sonantissima contra coactionem. Sed assuetus iam antè erat scripta mea contrario sensu allegandi. Fecit enim hoc etiam cum socijs suis in citanda thesi mea, disputationis Tubingensis 793. vbi pro electione intruserant vocem dilectionis. par. 1. act. fol. 61. Omnia in hunc finem, vt fallacijs se contra me instruerent, & supinam nostram Ecclesiam pro lubitu suffocarent. Nul- lum ergo adhuc effulget signum integritatis erga Deum & erga Eccle- siam.

Nec prius Gerlachio fidam, nisi Hunniana dogmata, de quibus cer- *Gerlachio non fides habenda.* tatur, rotundè anatematizet, & gratias agat Deo, quòd ad nostram confessionem redire possit. Quid fiderem homini huic, qui de respectu fi- dei nouas excitat turbas? & seipsum tamen, quid velit & quid sentiat, nusquam patefacit? Apud socios perfidiæ, non sinit eum amplius con- siltere spina conscientiæ nec tamen agnoscere vult culpam perditæ ve- ritatis, licet deprehensus in facinore, effugij nihil habeat nisi quod in mendacio iam ponit brachium suum. Magnum etiam hoc improbi in- genij indicium, quod meas theses publicè defendit, & defendendo suas fecit, communi consilio, approbatione & autoritate facultatis Theo- logicæ, iam verò non veretur confiteri, quod non per omnia approbâ- rit. par. 1. act. fol. 184. Ecce, tunc approbando & defendendo non ap- probauit, vt iam fatetur: at tunc quæcunq; apponebantur, confutauit. Quid scimus iam, quid vel approbet, vel improbet?

Quomodo vnquam sciemus quid in animo nunc habeat, iterum approbans vniuersalem electionem? & eo plus periculi, quòd indies aggrauat cor suum, vt veritati approbatæ & Spiritui Sancto obluete- tur. Nihil itaq; fidei tribuatür huic homini, nisi dilucidè de propositis quæstionibus loquatur: nisi expressè damnet, quæ docuit in Apostasia sua, de particulari electione, de duplicitatibus in actu Dei, & obiecto fi- dei, falso allegatis locis scripturæ, improbeq; exposito libro concordiæ

& nisi cætera principia omnia abijciat, siue Huñianismi siue Calvinianismi, quæ prolixè ei sunt exprobrata Nihil ei credat, nisi palàm fateatur, quòd Principes deluserit, Saxoniam seduxerit, Academiam Tubingensem corruerit. Huberū falsis criminationibus transfixerit, falsam de actis Huberianis historiam & Diabolicā criminationē in lucem ediderit; quòd Hunnium ad certamen hoc accenderit, quòd voluerit furtiuè iterum ingredi in Ecclesiam nostram. Hæc omnia illi prius expedienda sunt, antequam sibi promittat concordia & pacem cum Ecclesia Christi

Ad conuentum extrahendus.

Et in primis ad conuentum extrahendus est publicum, quem hactenus fugit, vt Demones lucem fugiunt. Et Magistratus quoque monendi sunt, vt iudicio eum sistat, vt audiat ab ijs, quos persecutus est, accusationes. Impetrare hoc poterant olim Athanasius, Asclepas & Marcellus in concilio Sardicensi, post multos & varios conflictus & sæuas transfixiones, quas ab Aduersarijs pertulerant, hostibus non audentibus in ipsorum & concilij conspectum prodire. Et memori adhuc tenet mente iste Gerlachius, quomodo in ipsas hostium fauces me coniecerim anno abhinc tertio ad illos è Saxonia profectus Tubingam, colloquium expetens, & causam exquirens, cur improba Apostasia tantum Ecclesiæ inflixerint vulnus? aderam, vt audirem eos respondentes, & vt me de intentatis purgarem criminibus. Plus feci, & animi confidentior, quàm olim magnus ille Chryostomus, qui Synodum, in qua Aduersarij præsidebant, adire noluit, prouocans ad Synodum Oecumenicam. 502. cap. 17. Ego nihil, nisi rictus Leonum apertos esse sciebam, atque omni brachio humano destitutus sola veritatis & fiducia in Deū, conscientia fretus, vobis, vobis, persecutorib. meis me sistebam etiam laniandum, si me Deus hostiam tunc esse voluisset.

Quid illi vicissim, & Gerlachius hic noster dux consiliorum eorum fecerit, etiam me tacente, effuderunt in Ecclesiam. Testantur enim ipsimet, in longo illo & bipertito libro suo, quòd colloquium petierim, quòd iudices petierim, quòd caput meū supplicio obtulerim, nisi improba ipsorum facinora corā iudicibus demonstrare possem. Hoc inquam me fecisse, & ideo Tubingæ comparuisse, ipsimet testificantur. Et cōfidentur simul, quòd præsidē obtinere & iudices impetrare nō potuerim. Fatentur etiam hoc, quod in Epistola sua ad Principē dissuaserint colloquium mecum instituendum, & vt Principem illustrissimum detererent

rerent, ab instituendo Hubrico congressu. Hæc omnia inuenies in 2. par. act. quæ ediderunt, fol. 24. 151. 157. 158. 164. 211. 212. Hoc testimonium vrit & vret istos Theologos in omnia secula. Isthec si egomet publicasset, pauci fortasse mihi fidem adhibuissent: iam hostium habeo testimonium, & amplissimum quidem pro me, feruentissimum autem & ignominiosissimum aduersus seipfos.

Cur verò, tu Gerlachi; nam tecum mihi peculiariter res est, subterfugiebas illud colloquium? Cur ad diem, vt Paulus appellat, tremiscis humanum, & non cogitas de die iudicij magni? Quod causam improbam defendas, hac tua te prodidisti historia. Tui olim erat similis Dioscorus ter vocatus ad concilium, apparere autem nolens, i. Concil. 454. Tui similis Eutyches est, qui sua disseminabat dogmata, colloqui autem nolebat. i. Concil. 424. Exul erat Diuus Hilarius, eiectus Episcopatu suo à Saturnino & alijs Arrianis, multoties petens, vt in congressu aliquo publico audiri posset, ab Arrianis autem id impetrare non potuit, sicut refert Sulpitius Seuerus. Hic muto spiritu ad reddendum fidei suæ rationem Carolstadius quoq; semper fuit obsessus. Pax autem in Ecclesia non erit donec isti illusores in Theatrum extrahantur, vt factorum suorum rationem reddant.

*Gerlachius,
fugit diem
iudicij.*

Dum eò non coguntur, interea clandestinis grassantur consilijs, & diffundunt carcynomata sua, quæ Ecclesiam ita depascunt, vt vix tandem malo remedium parari possit. Et partem etiam iræ diuinæ sustinebunt Theologi & Academia nostræ, quibus malitia hæc satis iam est cognita & perspecta, & hoc quoque perspectum, quòd hic Hunnianus Spiritus Munzerianos furores & seditiones spiret contra Magistratus suos, sicut iam factum nouimus in aliquot ciuitatibus imperialibus. Obuiandum erat huic sanguinario spiritui maturo consilio & ope, priusquam vniuersam corripiat Ecclesiam. Periculum est præforibus summum, & experientur, propediem iudicium Dei: si diutius excubitores nostri dormitabunt.

•••••

M 2

De palinodia à Gerlachio præstanda.

CVM Gerlachius, vt supra cap. 5. copiose demonstratū est, confiteatur, & approbet rursus, licet nec attritus, nec humiliatus, vti decebat, doctrinam hostiliter à se, & malitiose oppugnatam, de electione hominum in Christo vniuersali ad vitam necessarium erit; Si & propriæ & Ecclesiæ saluti consultum volet, antequam iusto Dei iudicio opprimatur, vt publicè coram Ecclesia quâ Apostasia sua grauer offendit, & malis artibus in gratiam sociorum, seducere nisus est, apertè confiteatur, se oppugnando vniuersalem illam nostri in Christo electionem ad vitam, impiè egisse, & basni seu fundamentum totius Euangelij, ac Christianæ religionis, contra conscientiam labefactasse, Principes fessisse, Academiam ac iuuentutē seduxisse, infantes persecutum esse, & magni illius offendiculi & tumultus in Ecclesia Dei, causam præbuisse, seq; iam veram Euangelij doctrinam, quòd videlicet Deus in Christo, omnes homines, ad vitam elegerit ac prædestinârit denuo serio ac sincero corde amplecti in eaque, Deo iuuante, permanfurū, & oppositam huic sententiam, ac falsa Hunnij, ac sociorum dogmata, pro virili, oppugnaturum. Secum insuper Opt. Max. supplex oret, vt graue illud peccatum pro misericordia sua ipsi clementer ignoscat, & seductos à se in viam veritatis reducat. Moneat præterea omnes, vt sua & sociorum scripta, ad oppugnandam veritatem hætenus edita, tanquam falsa, & fundamentis Christianæ religionis ac toti Euangelio de Iesu Christo seruatore totius mundi contraria, fugiant, & detestentur, Moneat denique socios, vt porro desinant reluctari veritati ac spiritui sancto contradicere, experturi aliàs aliquando certissimam Dei ultionem, & quam graue sit incidere in manus Dei viuentis.

Hanc, aut similem palinodiam Gerlachius siquidem & propria & publica Ecclesiæ Salus ipsi curæ est, & si Dei ac cœlestem gloriam, propriæ existimationi, & vanis huius mundi, ac hominū honoribus anteposit, præstare minimè grauabitur, consulturus hac ratione, & miseræ animulæ suæ & Ecclesiæ Dei, grauer à se vulneratæ cuius vulnus rectè sanari non poterit, quandiu publica eiusmodi non intercesserit erroris,
& fal-

& falsæ doctrinæ retractatio ac palinodia, & veritatis ac sanæ doctrinæ, missis ambiguis, & fraudulentis locutionibus, simplex, plana, & apta fiat professio.

Tales palinodiæ olim in veteri quoque Ecclesia à lapsis, & hæreticis, antequam in Ecclesiæ communionem denuo reciperentur, præstandæ erant.

Et sic vsitatum olim tempore Arrij, quanquam in ipsius persona magno cum incommodo neglectum fuit. Nestorius olim sese Ephesino concilio subijcere volebat, at patres concilij vrgebant, vt palàm prius suum damnaret errorem, sicut extat in Epistola Cyrilli 29. ad Acatium Melitenensem Episcopum. Et in concilio Ephesino, Nestorio hæc proponebantur: Consequens est iureiurando fateri te, quod anatematizes tua polluta & prophana dogmata, II. cōcil. 315. Et digna sunt notatu verba Leonis Epist. 84. Damnent (inquit) apertis professionibus sui superbi erroris autores, & quicquid in doctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit, detestentur, omniaq; decreta Synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ sedis confirmavit autoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, *plenis & apertis ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur; Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inueniatur ambiguum*: Hæc Leo. Quapropter D. Lutherus in nullam voluit periculolam consentire confessionem. Tom. Ienensi 7. fol. 242. 443. Et præsertim fol. 448. negat cū aduersarijs pacē constitui posse, si maximè iam saniora cōfiteantur, nisi simul cōfiteant, q̄ prius aliter tradiderint. *Eutyches.* Eutyches olim in omnib. volebat consentire Epistolis Cyrilli, sed rectè monuit Eusebius Episcopus Dorylei, nō admittendū esse, nisi illa anatematizaret, quæ prius docuerat. I. concil. 421. Et quòd tandem promiserit correctionem, ex Epistola liquet Leonis, 8. Hæc exempla nos instruūt, quomodo consuli debeat Ecclesiæ, & quid maturè faciendum sit, antequam tanta pestis in Ecclesia inualescat; Iam maximè opus est vigilijs, & primi autores falsæ doctrinæ cum primis sunt sæuera animaduersione feriendi & coërcendi. Hic enim Diabolus omnes excogitabit artes, vt Christianum populum priusquam assuescat defectiōni, sinuosis & fictis circumueniat confessionibus.

Eò citius autem stragem edere poterit, quòd plures in consortium Apostasiæ attrahet, qui superiore tempore bonam pro veritate Cœlesti tuenda nauârunt operam


Gratias

94 INVICTA VERITAS. DE UNIVERSALI ELECT.


Gratias autem agimus Deo patri Domini nostri IESU CHRISTI, quòd ita hostes cogat & subigat, ut non possint cælare veritatem, quam hæctenus oppugnârunt, & cuius causa me à stertentibus desertum fratribus, afflixerunt. Vincit DEVS in infirmitate nostra. Doceat is nos porro æneum tendere arcum, & manus nostras corroboret in prælio, ad præliandum pro nomine ipsius sacrosancto Ipsi laus in omnia secula.

A M E N.

F I N I S.







AB: 153560


ULB Halle 3
002 814 781



Sb

103







INVICTA VE-
RITAS, DE FACTA IN CHRIS-
TO IESV, ELECTIONE ET PRÆDE-
stinatione generis humani, ad vi-
tam æternam.

DETEGITUR D. STEPHANI GERLACHII
EX EIVSDEM DISPUTATIONE, AD FIDEM ET
confessionem nostram reditus plenus
fraudum, & peri-
culi.

Confutantur item præcipua capita, in actis Theologorum
Wirtembergicorum de ista controuersia
ante annum æditis.

Admonetur Ecclesia contra speluncas simulate fidei.

SAMVEL HVBERVVS D.



VRSELLIS
Apud Nicolaum Henricum.
MDCXCIX.

